









HISTORICA DESCRIPTIO

HIBERNIÆ,

SEU

MAJORIS SCOTIÆ, INSULÆ SANCTORUM.

PARS PRIMA METRICE POTISSIMUM EXHIBITA
AGIT DE HIBERNIÆ INSULA, EJUS LOCO, SITU, VARIIS NOMINIBUS,
DIMENSIONIBUS, PRIMIS INCOLIS ET REGIBUS, AB
UNIVERSALI DILUVIO AD PRÆSENTEM ANNUM M.D.CCIII.

AUCTORE PERILLUSTRI DOMINO,

GUIL. D. O'KELLY,

DE AUGHRIM, EQUITE HIBERNO, A.A.L.L. AC PHIL. DOCT. J. U. LICENTIATO: IN
ACADEMIA NOBILIUM VIENNENSI, AB INCLYTIS INFERIORIS AUSTRIÆ
STATIBUS ERECTA, PHIL. ET HERALDICÆ PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO:
NECNON ACTUALI AULICO-CÆSAREO REGIOQUE POETA LAUREATO.

VIENNÆ AUSTRIÆ:
TYPIS ANDREÆ HEYINGER, UNIVERSIT. TYPOGR.
M.DCC.III.

HOC OPUS EDITUM EST DE NOVO

A PATRICIO O'KELLY,

INTERPRETE ABBATIS MAC-GEOGHEGAN AUCTORIS HISTORIÆ HIBERNIÆ.

DUBLINII:
TYPIS R. GRAISBERRY,
M.DCCC.XXXVIII.

DEDICATIO,

ILLUSTRISS. ET EXCELLENT. D. D. GERMANIS FRATRIBUS

D. GEORGIO ADAMO IGNATIO, S. R. I.

ET

D. MAXIMILIANO GUIDOBALDO, S. R. I.

COMITIBUS DE MARTINITZ, GRATIOSISSIMIS PATRONIS HUJUS TRACTATUS DE REGNO HIBERNIÆ.

Nobile *par Fratrum* Bœmorum gloria gentis
Cæsaris unus amor; cura alter *regis*; uterque
Urbis, et Aulai, Cleri, populique voluptas :
Si fas a magnis vos paulum avertere curis;
Cæsaris et regis miscere negotia rebus
Si gravibus mea parva licet, sit copia fandi
Vel modicum. In somnis me nuper Hibernia noctu
Defloratæ instar Deæ virginis, ora, genasque.
Fœda, sinu lacero, sparsis sine lege capillis,
Vix ægris ducens suspiria lenta medullis,
Aggressa est, crebris singultibus obruta, ut ægrè
Vix ea verba dedit (namque omnis adempta Deæ
mens)
Non periisse satis ferro; minus opprimor armis
Quam calamis : vitam tantùm cum sanguine miles,

Sed decus et famam, nomenque, et quidquid honesti
Gessimus, hoc adimit scriptor. Cum nomine Scotus
Gesta sibi, attribuit, Sanctorumque examina: famam
Denigrare Anglus non sistit. Uterque paratus
Æquo odio, studio pari delere vel ipsum
Nomen, et ut nostrî maneat nihil orbe superstes;
Pugnatum satis est armis: si fata dedissent
Vincere jam vici; Mavortia pectora nobis
Esse omnes nôrunt. Divûm implacabilis ira
Perstat adhuc: potiùs perstant delicta parentûm,
Nostraque juncta illis. *Calamo* qui denique certet,
Vindicet amissum nomen, famamque decusque,
Is mihi *Phœbus* erit, præponendusque *Gradivo*.
Quin age Kelly, novas in carmina contrahe vires,
(*Cæsaris* et *Regis* de munere) laurea cingit
Quem nunc: *Augusti* effigies donata *Josephi*
Ornat et effigies *Magni* donata *parentis*.
Te labor iste decet: munus tibi convenit istud;
Munus id extremum, rebus solamen in arctis,
Fer patriæ afflictæ: nisi vis ingratus haberi.
Tunc Ego; Diva, precor, mihi ne committe laborem,
Quære alium vatem; nostris est viribus impar
Istud onus: nostri non est, Dea, ferre quod optas;
Ac si ferre queam: sub quo liber ibit in orbem
Nomine tutus? enim nemo velit esse patronus;
Nec sine patrono, vel Mæcenate poetæ
Grandè aliquid tentare valent. Dea rursus ad ista
Spem vultu referens, oculis sua gaudia monstrans,
Et lenè increpitans. O rerum ignare mearum!
Qui Sternbergiadûm cecinisti ab origine gentem,
Factaque, fortunasque, exantelasque labores,

Illorum ducens Nabathæis sidus ab oris.
Regibus ergo tribus priùs illuxisse videtur
Regibus ergo tribus sata Gens Sternberga : et habetur
Balthasar antiquæ Sternbergæ Gentis origo,
Tenè vel huic toties affinia stemmata genti
Martinicea latent, toti notissima mundo
Nomina ? et his dictis, sequere, inquit, pauca docebo.
Visus ego in sublime trahi, juga montis anhelus
Scandere, relligio, pietas, probitasque, fidesque,
Virtutesque omnes resident ubi : quælibet illic
Templa sua ostentat (verbis audacia detur)
Quæ vix non dicas æquare palatia cœli :
Tum me observantem, et mirantem cuncta trahebat
Diva manu : paucis, inquit, quos æquus amavit
Jupiter, hìc habitare datum : quos scandere fecit
Per durum virtutis iter ; Nos venimus ergo
Martinicæorum. Tum pandit limina templi,
Gloria quo Martinitz Diis immortalibus æquat.
Martinicæorum series hic longa videnda
Heroum : hic vivâ spirantes arte figuræ
Ductæ auro. In primis Bæmorum numina regni
Jorslaus Borsita, quibus seu sideribus sol,
Præfuit : hunc, veluti circumstant sidera solem,
Circum omnes nati, Sternbergâ matre creati,
Pars una in trabeis, pars altera fulgida ab armis,
Altera pars sacrâ nimiùm veneranda tiarâ :
Martynicæa Duces, gens Martinicæa Catones,
Pontificesque dedit, proceres dedit illa togatos ;
Unâ e stirpe omnes, qui firmavêre senatum
Consiliis, regem eloquio, aut victricibus armis

Defendêre suum: potiùs duxêre vel altis
Turribus ejecti sese committere Divis,
Vivere quam tuti, regique, Deoque rebelles.
Hos inter magnus genitor, magnoque secundus,
Vester, avo; non tam fulgens ingentibus ausis,
Quàm quòd avo æquales vos ambos protulit orbi,
Heroes imitatores virtutis avitæ.
Æquales ambos magnis majoribus: ambos
Patronos seris ventura Nepotibus ætas
Proponet: magnorum exempla imitanda parentum
Proposita, teneris vos ambo imitamini ab annis.
Consilium, eloquiumve velis, seu robur in armis:
Frater uterque potens illis: a Marte videtur
Martinicæa Domus nomen traxisse; vel inde
Cæsaris huic: illi regis, custodia fratri
Tradita, constantes, perque aspera fata fideles
Austria Martinicios novit, laudavit, amavit.
Divitias spectes, æquive, piive rigorem,
Seu soboles, castosque toros; en uterque beavit
Mutiplici nunc prole domum, stirpemque genusque.
Sed quid ego hæc autem? regi *Gudobaldus* adhærens
Factus ei, Æneæ quod erat bene fidus Achates,
Theseus Alcidi; testis non sola Vienna;
Testis at utrius Landavia facta perîcli.
O! quis eum validis tractantem lora lacertis,
Fræna fugacis equi, celebret? scapoque petentem,
Ictu non errante, scopum, telumque vibrantem,
Et quatientem hastam, stricto aut caput ense metentem,
Dicat id Aula, canet simul hoc Academia. Demum
Quidquid agit cum laude facit: nam gratia formæ

Tanta viro, vis eloquii : dulcedine cunctos
Allicit, inque illo verum est quod vulgò refertur,
Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.
Sed me præ reliquis tua major imago, Georgi,
Perculit ; illa patres, et avos, atavosque per omnes
Fusa, superque omnes : magnæ caput ergo futurum
Posteritatis, Adame, tuæ : tua maxima virtus
Sufficit exemplo cunctis : illa ardua et ingens
(Damna Dii prohibent) vellet minor illa videri :
Se celare sibi, et cunctis prodesse latendo.
Quin illum toto divisus ab orbe Britannus
Laudavit, magno pro Cæsare magna gerentem,
Magnum oratorem ; laudavit et ipse Jacobus,
Tum rex Angligenûm (gemmis auroque decorâ,
Et rarâ arte, suâ donavit imagine) is Anglos
Cæsaris in partes traxit. Fuit inde reversus
Quolibet officio major, parque omnibus Aulæ
Muneribus. Demum Latiam profectus in Aulam
Cæsaris acta gerens, astutaque pectora Romæ
Purpureos patres quos purpura vestit et aurum,
Pontificum instrumenta, quibus ceu cardine, mundus
Vertitur, in sua sensa trahens : suffecerat unus
Omnibus, a recto nullâ flexibilis arte :
Hunc nec dona, favor, timor aut corrumpere possunt
Ut facilis quidquam justâ de lege remittat.
Justa petis, facilem ; durum minus æqua petendo
Invenies, mixtâ interdum gravitate verendum.
Juris amans, rigidique tenax servator honesti,
Firma columna æquo justoque immobilis hærens.
Cæsaris et *Papæ* novit distinguere leges.
Nunquam etenim heroes et recti conscia corda
Succumbunt oneri ; sed quò sors durior urget,

Altiùs assurgunt, stat mens impervia cunctis
Ictibus, et major damnis in vulnera fertur,
Componique hosti et fatis occurrere gaudet.
Hinc tibi crevit honos : nam cum discedere *Româ*
Jussus : at immunis culpæ ; constantia vicit
Invidiam : sic Roma tuam perferre nequivit
Virtutem dotesque animi : quia semper eandem
Mente fidem servâsti, illæsaque jura volebas
Cæsaris esse tui ; charo hinc amplexus amore
Te Cæsar, te Astræa redux, Aulæque Quirites,
Esse Mareschallum dederant, Aulæque tribunal
Vexêre ad magnum, rerumque ad culmina Cæsar,
Perque gradus varios ; vel adhuc vecturus. Adame
Sic virtus tibi stravit iter, perque alta senatûs,
Atque Aulæ tabulata tulit : non te tamen ulla
Fortunæ facies, non prospera et aspera fati
Frangere vis potuit : quidquid sævissimus atro
Felle tumens livor tortis effuderit hydris.
Cæsar et Astræa, humanis Dea finibus exul
Hactenus, Aulæos fasces tibi ferre dederunt.
Denique Pythagoras si dogmata vera docebat
Præ—quot—iêre tibi ; simul omnes pectore in uno
Majores vivunt ; quæ sparsim dona beatos
Fecerunt, collecta tenes ; tibi sufficis unus
Externæ nil laudis egens, te dives ab uno.
Jam torquatus eques, meritis tunc notus Iberis,
Et sine Mædea generoso pectore gestans
Exuvias tantas, majori dignus honore.
Filius annè mihi tuus illaudatus abibit.
Viva tua effigies : probitas, prudentia, candor,
Judiciumque animi, longè maturius annis ?
Plura locuturum interrupit Hibernia vatem,

Maturare abitum, jam tum *Dea* visa moveri,
Ad laudes Heroum, inquit, tibi carmina desunt,
Et minus oris habes ; cum plura volumina scribes
Scribetur tandem : *nondum finitus Orestes.*
Et cunctaris adhuc, quêis me committere Divis,
Patronisque velis, inter tot numina, Divos,
Heroesque inter tot ? fors mea numina nescis,
Et tutelares Divos ? gens illa tot annis
Cum Sterenbergis mea sacra, meosque penates
Tutavêre : illis debetur Hibernia, saltem
Parte sui meliore, fidem Franciscus, et ejus,
E Franciscanâ præclari stirpe nepotes,
Degentes Pragæ faciant. Accede Patronos,
Meque, meosque illis commenda, Nate, penates,
Hæc ubi : me statim somnusque et Diva reliquit.
Non igitur vos sponte meâ, sed matre rogante,
Patronos operi volui (me dignor honore
Haud tanto) vestris abeat liber iste per orbem
Auspiciis, vos hincque suos Hibernia Divos,
Patronosque suos appellet, honoret, adoret.
Interea advolvi pedibus permittite musam
Hiberni vatis, qui, Matre monente, Patronos
Vos rogat, et sese vobis obstringit, eritque
Semper ad obsequium, dum spiritus hos reget artus.

Illustrissimarum et excellentissimarum
Dominationum
Devotissimus cultor,
GUIL. O'KELLY,
De Augrim, Eques Hibernus, Professor Academicus, et Cæsar. Regiusque Laureatus Poeta.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Lector benevole, ne prolixiori præfatione, tuâ hic abuterer patientiâ, suam materiæ cuilibet præfatiunculam, ad faciliorem rerum intelligentiam, præfixi. Scribendi vero consilium, quod attinet; nulla me scribendi cacoethes, aut inanis gloriolæ captandæ desiderium, ad scribendum compulit: sed zelus patriæ meæ comedit. Quippe gens nostra, amplissimum quondam regum theatrum ab anno mundi 2657, quo regnum auspicatus est Slangius, ad annum Christi 1198, quo mortuus est Rudericus O'Connor ultimus Hibernorum rex in Hiberniâ, 90 absolutos reges supremo sceptro insignivit. Orthòdoxæ religionis quam ante annos circiter mille trecentos ab Ecclesiâ Romanâ, per S. Patricium apostolum susceperat, perpetuò tenacissima, oculos nunquam a sede Petri certissimâ navigantium cynosurâ, deflexit. Sed contra omnes persecutionum tempestates, velut laurus vulnere virescens, tantum olim in religione fecit progressum, ut *Sanctorum insula* appellari meruerit, de quâ mellifluus Doctor in vitâ S. Malachiæ, cap. 5., ita scripsit. " Verè sanctus locus, fecundusq. Sanctorum; nec modò in præfatas sed in exteras etiam nationes, quasi inundatione factâ, illa se

Sanctorum examina effuderunt." Inter quos et ipse *S. Colmanus* nobilissimæ Austriacæ gentis patronus, et alii innumeri aliarum gentium patroni, Thaumaturgi, vel Apostoli, de quibus consule auctorum testimonia infra p. 37, et p. 80, ubi etiam invenies quid in re bellicâ et literariâ olim præstiterint Hiberni: et signanter quidem Claudium Clementem et Joannem Erigenam, ambos Hibernos sub Carolo Magno, illum Parisiensis, hunc verò Papiensis Academiæ fundatorem. Contra autem ac regula juris (*afflictio afflictis non est addenda*) dictat, quasi non sufficere gentem armis exterminare: calamis adhuc (quod pejus multo est) vel ejus memoriam, datâ operâ, delere non verentur moderni rerum nostrarum scriptores, quos non tam antiquitatum nostrarum invidiâ quam etiam inscitia ob vernaculæ nostræ defectum, laborare constat. Ut non immeritò veridicus Flahert. de Camdeno illorum Coryphæo cecinerit.

"Perlustras Anglos oculis Camdene duobus,
Uno oculo Scotos, cæcus Hibernigenas."

Sed neque hæc omnia ad scribendum me compellerent, nisi et exteros plerosque scriptores, etiam Catholicos, nescio quo cæco impetu, in gentis nostræ descriptione, horum tantùm verba, velut authentica quædam, repetere comperirem, ac nobis, legitimorum p. t. regum nostrorum, quamdiu juramento obstringimur, causam, vel ultimo nostro exitio, tuentibus, perduellionis crimen, aliasque infamiæ notas inurere; regicidis verò atque usurpatoribus laudem ac honorem deferre. Nimirùm ut notat Juv.

"Dat veniam corvis, vexat censura columbas."

Sic enim Famelicus quidam e genere poetarum Crumwello adulatur:

Heroas Græci, laudet si Roma Catones
Augustos, Decios, Scipiadumque genus
Anglia nonne tuum laudabis jure Crumelum
Protectorem illum, magnanimumque ducem?

Sed vilis adulator, de nefario usurpatore rectiùs cecinisset:

Trinacris Phalarim; laudet si Roma Neronem;
Pelopis fœdum Græcia prisca genus.
Anglia, tunc sævum laudabis jure Crumelum,
Regicidam illum, Tartareumque ducem.

Verùm enimverò quid ego his immoror? quæ si discutere vellem, non unum sufficeret volumen. Quod reliquum est, amice Lector, si has qualescunque lucubrationes meas æquo animo susceperis, animum alacriorem reddes ad ea præstanda quæ præstaturum me pollicitus sum. Quòd si profundissima gentis Hibernicæ antiquitas hic demonstrata: si regia majestas annis bis mille septingentis Hibernicæ originis, in seriniss. nunc regnante Anna reginâ etiamnum florens: si vetustissimus apud nos literarum usus, sine quibus tam accurata veterum temporum supputatio elici nequit: si Christianæ professionis exercitium a tredecim jam elapsis sæculis, vel in ipsis persecutionibus bonorumque amissionibus nunquam hactenus violatum: si denique, ut cum vulgò loquar, *veritas odium vel invidiam pariat*, libenter feram: "rumpantur ut ilia Momis" seu subdolis ac cæcis scriptoribus eorumque incautis, ac stolidis asseclis qui nihil aliud, præter calumnias, vilioris plebeculæ

vitia, vel consuetudines quasdam barbaras, ante sæcula Christiana, nobis cum aliis Europæ gentibus communes, in Hiberniæ descriptione accumulant: qui si per nostram aut aliorum Scriptorum nostrorum (qui nunc velut canes muti non valentes vel potius non audentes latrare) vincant, aut orbi, quacunque de causa assentienti, imponant, nobis tandem dicere sufficiat.

"Victrix causa orbi placeat, sed victa placebit
Nobis dum maneat non violata fides."

Descriptio Bipartita, regni Hiberniæ, seu Majoris Scotiæ Sanctorum insulæ.

Pars prima, metricè exhibita, duabus absolvetur sectionibus, quarum priori agetur de Hiberniæ insula, ejus situ, dimensione, variis nominibus, cœli, solique fertilitate ac fecunditate: maris item commoditatibus, diversis animantium speciebus, incolarum moribus, religione, linguâ, legibus, studio, bellicâ laude, viris sanctitate conspicuis; ac demum de diversis Hiberniæ incolis et regni divisionibus, mirabilibus, &c. posteriori verò parte agetur de variis Hiberniæ regibus, tam ethnicis, quàm Christianis, Historico-Chronologicè, &c.

HIBERNIA DESCRIPTA.

Finibus occiduis, ubi finis clauditur orbis
Cincta mari, peramœna situ, jacet insula cujus
Vergivium* dextrum, lævum *Caledonica*† pulsat
Unda latus, patrium fretum præterfluit ortum,
Occasum oceanus; milliaria longa trecenta
Lataque viginti centumque; sed octo decemque
Solstitio Cancri lux hic partitur in horas.
Ergo bis in sexto jacet insula climate mundi.
Nominibus variis fuit appellata vetustis;
Nunc (olim ut Latiis) Hibernia vulgò vocatur,
Flumine ab Hispano deductum nomen Ibero;
Aut duce qui quondam nostris habitavit in oris.
Dicitur Historicis et Jerna, et sæpe Juverna;
Ogygiam hanc gentem dicit quandoque Plutarchus.
Insula Sanctorum Romæ vocitata fuisse,

---

* Vergivius Oceanus, in ancient geography, was the name given by Ptolemy to that part of the sea which bathed the southern coast of Hibernia, and the western provinces of the Isle of Albion. It is now called St. George's Channel and the Irish Sea.

† Caledonia, the ancient name of Scotland. That part of the sea, therefore, called by our author, Caledonica unda, signifies the sea between Ireland and Scotland.

Sanctorumque parens legitur fecunda virorum.
Quàm priùs externos nôvisset Hibernia reges,
Junctaque nostra forent vicinis regna Brittannis,
Aut Anglo ore, nefas! Irlandia dicta fuisset.
Sed potiùs triplici regum de conjuge, triplex
Nomen adhuc genti remaneret; ut Eria, Fodla,
Banba, sono patrio, vel Scotia Major, ut ante
Dicta foret; sic nostra sibi, cum nomine Scoti
Albiones nunquam tribuissent gesta; nec ipsis
Fecissent proprios, quos non peperêre, triumphos,
Et sanctos nobis, quos non genuêre, dedissent.
Sed quid ego hæc? capit ista suos injuria Divos.
Gens celebranda mihi quondam notissima mundo
Milite, pace, fide, terræ Cœlique favore
Admiranda; meum tot laudum encomia mentem
Percellunt, fere ut ignorem, quó littore solvam,
Aut de fonte feram tantarum exordia rerum?
Utar ut hìc verbis Peligni* ruris alumni,
"Non sentitur hyems, nec sol sentitur in æstu."
Temperies æterna regit, nec cancer adustâ
Fronte minax, æstate leves hìc torret aristas,
Aut ardore gravi nascentes excoquit herbas.
Hic hiemes nil juris habent; Caper ipse remittit
Frigus, et hic triduo vix ningit, quando tepescit,
Aut modicâ pluviâ solvuntur. Aquarius urna
Ipse suâ nimios nunquam se solvit in imbres.
Grando, pruina, gelu, ros, vespertina vel aura,
Indigenis non sunt meteora noxia, et ipsa
Nos rarò terrent genitura tonitrua fulmen.

* An Italian writer.

Ergo procul nobis, machaonia turba* facesse;
Aura salubris enim nobis et longa senectus;
Non opus est medico: non hic Libitina† recondit,
Semina morborum: multos tamen urget acuta
Febris, et in quinta moriuntur luce frequenter.
Fertilitate pari telluris Hibernia guadet.
Quo te cunque feres totam mirabere gentem;
Inclusum oceano distinctum floribus hortum
Esse putes, se in tot mutat natura figuras.
Luxuriatque inter rerum discrimina tanta.
O quam pulchra loci facies! læta omnia, læta
Vernat humus, lectisque gemit sub fructibus arbos,
Et picti variis delectant floribus agri,
Et sata virescunt spatiosa per æquora campi,
Sylvæque ingentes, montes, nemora alta, recessus
Umbriferi, et latè distinguunt flumina campos.
Fictitii montes Græcorum et Thessala Tempe
Hesperidumque horti (quos tunc mentita vetustas
Extulit ad seros tantâ cum laude nepotes)
Non mihi se objiciant. Si, quæ non fabula finxit,
Munera deducant; mea gens non invidet illis,
Munera quanta ferant. Sparsim quibus orbis abundat
Omnibus adjunctim terram hanc natura beavit.
Oceano ut toto divisa est Insula ab orbe,
Natura hìc vasti fecit compendia mundi.
Portubus innumeris regio patet æquore ab alto,
Quælibet appulsis statio benefida carinis,

---

* Machaon, son of Æsculapius, is applied to signify, in this place, the medical tribe.

‡ Libitina, supposed by the heathens to preside over funerals.

Qua non ira maris potis est, aut Eolus undas
In naves armare potest. Hic navita ab omni
Orbe vehit merces, revehit quibus indiget ille
Aut sua terra negat: faveant si cærula regna,
Namque iter hinc solum: Cœlum undique et undique Pontus.
Quod si fortè diu placeat regione morari,
Non ingrata tibi, nec inhospita regna videbis;
Pene domi fies peregrinis hospes in oris,
Terra peregrinos studio colit illa supremo.
Littora fortè placet lustrari: in littore conchæ
Gemmiferæ, piscesque maris, pretiosus et ambar,
Quique ornant digitos multo splendore lapilli;
Quodque ferunt herbam mollem prius esse, corallum.
Inveniuntur opes quantæ? sed monstra marina
Te terrent; nostro capiuntur in æquore Cete
Grandia, quæque alio fert monstra sub æquore pontus.
Ostrea, retrogradi cancri, halecesque per omnes
Æquoris anfractus, salmones, salpa; quis omnes
Enumerare queat, quot habent hæc littora pisces?
Hìc mediòs inter ludit Delphinas Arion.
Nunc fuge littus; enim maris unda reverberat æstu.
Neptunus sine lege ruit, furit Eolus Euris,
Temporibus statis: ferunt Neptunia regna
Et fluit et refluit nostras maris æquor in oras,
Hocque magis, quo plena magis premit æquora luna.
Pascua delectant: haud unquam Thessala Tempe
Gramine læta magis fuerant, hic pascua abundant;
Hic avido pecori nisi pascua pastor amœna
Sæpe die impediat, finitur morte voluptas.

In pratis armenta boum promiscua cervis
Capreolisque vides: miraris corpore quantum
Molis habet, quantumque procul se cornua findant,
Quâmque caro sapiat, valeat quàm caseus et quàm
Lac sapit, et presso confectum lacte butyrum.
Indignata frequens taurorum hic ungula campum
Percutit, adversis luctantur cornibus hædi,
Et victo insultat possessâ victor arenâ.
Terga boûm quantùm valeant id sæpius ipsi
Laudârunt Angli. Sed equos transire quis error?
Quos aliæ gentes non Asturionibus ipsis
Postponunt: glomerantur ii, saltare putares:
Vix ocreis opus est equiti; nam a sordibus illum
Ipse incessus equi nitidum conservat: in illo
Magnificum est quiddam, majestas corpore toto;
Unde superbit eques, cursu velocior Euris.
Lanigerum spectare gregem lectasque bidentes
Ne pigeat: molem et lanam mirare; quotannis
Vellera bis tondet pastor, quibus ipsa Minerva
Vix meliora comat; soli caro displicet illi
Cui nullus sapor est. Animalia cætera ab illis
Omnia disce, quibus domus indiget ulla. Notandum
Æstate ac hieme, hìc nullo discrimine, amœna
Prata per, et sylvas noctuque diuque vagari
Omne pecus: nisi quæ domino servire tenentur,
Aut opere, aut fructu; sylvestres sæpe putares
Esse boves et equos. Humana hos territat umbra.
Si Deus armentis pan est, ut fabula fingit,
Hìc Deus Arcadiæ, mutatâ sede moratur.
Ursorum rabies nulla est hìc, nulla leonum
Semina, nulla, quibus infesta est Africa, monstra.

Sibilat hìc serpens nullus, aut rana coaxat*
Bufovè ventrosus, nigro vomit ore venenum,
Ad nos externo licet hæc a sole ferantur,
Protinus intereunt nostræ telluris odore:
Ore uno exhalant animamque et toxicon omne,
Patricii vis tanta precum fideique patroni.
Sacratam Paulo, nunc se ferat insula Crete,
Exul ibi solus serpens: animalia quæque
Noxia non suffert Hibernia. Prata vadosis
Fluminibus distincta vides: his Naiades in undis
Turbaque nympharum, lymphatica numina, certant
Concentu, saltuque pari, lætisque choræis.
Si tua flumineâ vestigia figis arenâ,
Cernis perspicuo sylvas frondere sub amne,
Errantis umbræ effigiem, virgultaque motis
Intremere arboribus; lapides splendore videntur,
Et niveæ apparent vitreo sub gurgite conchæ,
Et gemmis gaudent splendentibus, atque lapillis
Artificum quos docta manus perpolit, et ornat
Arte suâ, nomenque addit pretiumque laboris.
Aptaque navigiis sunt flumina, cerne carinas,
Limbosque, scaphasque, et longo ventre phaselos
Quos tollunt nautæ multo stridore rudentum
In se jactantes pravæ convitia linguæ.
Ille ratem conto subigit, dum funibus alter
Nititur adverso sursum conscendere fluctu.
Quid dicam innumeros, examina lubrica pisces?

* It is well known from history, that frogs were not in Ireland before the arrival of William Prince of Orange: they came in the ships which conveyed the Dutch troops from Holland.

Humida squamigeris errare per æquora pinnis,
Seque sibi objicere, et celeri remeare reflexu?
Haud alibi meliùs cataractas vincere saltu
Salmones nôrunt: truttarum est copia major
Nusquam alibi; molis mirandæ lucius amnes
Infestat. Quovis sunt hìc ex ordine pisces,
Mole, sapore, fidem superantes. Occupat amnem
Hic linis, aqueos greges in retia cogit;
Ille autem tendit viridanti ex aggere virgam,
Squamosoque gregi fallacibus imminet hamis.
  Quid quòd candentes ludant in flumine cygni,
Et niveos viridi deducant margine pullos.
Anser, anas, volucresque aliæ, quæ flumine gaudent
In fluviis illic, lacubusque frequentibus errant;
Deliciæ aut lucrum domino, de more futuræ.
  Parte aliâ invitant sylvestria numina vatem
Inter Hamadriades, aut rustica numina Faunos;
Quà varii assurgunt colles, quos limpidus humor,
Gramine florenti, semperque virentibus herbis
Conserit, et nullo patitur marcescere sole.
Per juga, per cautes multo scatet unda canali,
Et varii erumpunt, gratâ dulcedine fontes.
  In declive solo segetes de more virescunt
Omnigenæ, plantæque omnes, borealia quas fert
Climata, radices, frutices, herbæque in utrumque
Usum, quas quærit machaonia turba, coquusve,
Hìc crescunt; si cor languet, crocus erigit: herbas
Non opus externas, stirpesve hìc quærere: lectas
Patria culta dabit. Bacchi vineta racemis
Cur hìc pauca tument? an fors quia negligit illos
Cultor agros segnis? an fors quia sobria Bacchum

Gens aversatur? Cererique assueta Lyæum
Non præfert Cereris succo, vel forsan adæquat?
An potiùs vili quia Gallica vina et Ibera
Hìc bibitur pretio, tumido maris æquore vecta.
  Perdices, turdi, phasiani, omnesque volucres
Collibus his et agris errantes decipit auceps
Tempore quasque suo, vel plumbi grandine sternit.
Non lepores Atho, nec apes mihi jactet Hymettus,
Nou Atho cedit, nec Hibernia cedit Hymetto.
Nusquam alibi lepores magis insectatur odora
Turba canûm, sequiturque avido citò vertagus ore.
Penè pudor nobis leporem trajicere plumbo.
Arboribus Martes, Castor delectat in undis,
Quæque feræ sylvis, vel aquoso littore gaudent.
  Quid quòd apes illic condant alvearia terrâ
Ruderibus domûs, musco, truncisque cavatis,
Citra hominis curam, sua cerea castra metantes.
  Plus ultra ingentes cernis vallesque, lacusque,
Quos fecit natura, suis quoque dotibus auxit.
Pars alia in ferrum, lapidemque invertere ligna
Pollet, et irato pars una reciprocat æstu,
Sit procul illa mari: redolet pars altera salem;
Et canos facit immersos pars una capillos
Altera pars variat formam, variatque colorem;
Interdum fit cæruleus, nunc croceus exit,
Induit et virides aliquando, smaragdinus undas;
Munera prætereo, teneant quæ plurima fundo.
  Laude suâ intonsas nequeo describere sylvas;
Deciduis rarò se exornat crinibus arbor.
Hìc hederâ in ramos, nexu diffusa tenaci,
Per truncum, perque alta sequax fastigia serpit,

Et propriæ frondes, alienâ fronde virescunt.
Robora quanta vides? quæ non hìc arbor in altum
Sese effert ramis, Cœlumque cacumine tangit?
Hic abies, platanusque frequens, tiliæque comantes;
Incensi nec matre carent, nec thuris honore.
Vidimus ingentes Hiberno robore naves,
Regalesque ædes Londini: vidimus Hagæ
Principis Hiberno constructa palatia tigno.
Omnibus hæ magnis sylvæ sunt ædibus aptæ
Et cunctis machinis. O quæ stabula alta ferarum
Hibernæ sylvæ! timidorum hìc cernitur agmen
Currere cervorum, damulæ, capreæque fugaces
Per juga, per montes, per devia culmina scandunt.
Endymione frui poteris quô, Cynthia, Lathmos
Plurimus hìc gaudentque feris, gaudentque metallis.
Quod si fortè vorax lupus, aut vulpecula vecors
Infestare gregem tentent: utrumque molossi
Morte necant meritâ. Cervo insidiatur et apro,
Turba canum, tam nare sagax, quam corpore pollens.
Ex his majores quidam, quidamque minores.
Hi leporem et vulpem; cervos venantur et apros
Illi. Quinetiam legimus prostrâsse leones
Adductos aliò, nostrâ de gente, molossos.
Intereà volucres urgent pernicibus alis,
Falco ferox rostro, et magni Jovis armiger ales,
Hìc aquilæ, hic verè falcones semper abundant,
Degeneres nunquam, aut patriæ virtutis egentes.
Prata, feras, campos, sylvas, fluviosque lacusque

Montes et valles, et Hibernica littora nôsti.
Nunc juvat Hiberniæ rimari in viscera terræ;
Abstrusoque sinu pretiosa videre metalla;
Lucroso artificûm quæsita metalla labore.
Et lapides, magni quos dicunt esse valoris.
Hìc nervosa fodis vario spectanda colore
Marmora, quæque trahunt paleas, electra, molares,
Electos lapides, alabastra micantia, gemmas
Non contemnendas. Rubinus, chrystallus, achates,
Cæruleus sapphirus, smyris, viridisque smaragdus.
Lidius argenti, verique probator et auri,
Ferra trahens magnes, iridem lapis æthere formans
Inveniuntur. Item silices, salesque marini,
Fossilis et gemmæ, et linguam quod pungit alumen,
Acre nitrum, varios servatum munus in usus;
Vitrioli genus omne, tetri quoque sulphur odoris.
Invenies illic auri, argentique fodinas
Quæ bello nervos addunt et regibus alas.
Æsque nitens, stannumque, et mollia corpora plumbum
Effodiuntur, item vel ad usum ferra Gradivi,
Vel plebis, terram, quæ vomere scindit adunco.
Quodque metallorum reliquorum fertur origo,
Argentum vivum vel hydrargirus extat in imis
Terræ visceribus; patiens non ille quietis;
Perpetuo gaudens motu, non figitur arte.
Si tua membra subit penetrabile frigus, et urget,
Aut servare velis tua ligna; est fossilis illic
Carbo frequens. Carbone magis, faber utere saxeo.
Hic leviùs poteris, meliùsque expellere frigus
Cespitibus, quos sola, puto, dat Hibernica tellus.

Terra priùs glebosa, nigroque imbuta colore;
Scinditur in partes oblongas, atque quadratas
Quæ sole indurant sensim: dein ignibus apta
Materies, cui non lignum vel fossilis ipse
Carbo præest; calet illa diu, duratque, parumque
Producit fumi; vix sordibus inficit ædes.
Lector, habes strictim quot Hibernia commoda profert.
Omnia carminibus nequeunt comprendier istis
Quæ plures vates et plura volumina poscunt.
Hîc igitur nostræ taceo commercia gentis:
Anglus et Hollandus, vicinaque littora, Galli
Hispanique sciunt, semotaque littora Ganges.
Felle tumens Anglus sileat, vel fraudis abundans
Scotus, in hanc gentem qui scripta insulsa dedêre.
Scilicet Anglorum nobis inimica potestas
Scotique, ut proprias possint extollere gentes,
Nobis qui et genti mendacia plurima fingunt.
Usserus testis, testis venerabilis, esto
Beda mihi: lector, quantus sit testis uterque!
Albion occultat nostro sub nomine fraudem
Scotus, et ut nostras laudes sibi scribat, Hibernis
Imponit fictis mendacia plurima larvis.
Quid? quòd et historicos, linguamque ignoret Iernæ
Scriptor uterque, suumque caput sine lege sequatur.
Historici externi, vos hìc obtestor et oro,
Regula ne veri sint nobis Scotus et Anglus,
Quive illos sequitur male cautus at inscius auctor,
Quàm prius immissâ veri trutinâ omnibus æquâ,
Quam decet Historicum semper servare fidelem;
Auctores patrios, vel neutros consule, Lector.

Fortè hominum mores, urbesque et gesta requiris.
Quamque fidem teneant? quæ sit divisio gentis?
Accipe; pauca loquar pro re. Gens hospita, fraudis
Nescia, sensuræ mentis, constans, et honestis
Semper honesta, bonis bona, gratis grata, superbis
Invida, vindictæ cupiens, injuria lata
Non moritur, patrum sequitur vindicta nepotes.
Contemni impatiens gens est, arcanaque servat,
Quæ servanda, tenet promissa, fidemque, colitque
Semper amicitias, donec pars altera fallat.
Laudis amans justæ, pulchroque inservit honori.
Sexus et in pretio muliebris habetur. In ore
Blanda Venus, faciesque decens; verecunda pudore
Virginis ora tument, et amorem lumina spirant.
Cætera Pallas habet. Turba invidiosa novercæ,
Lurida terribiles miscent aconita privignis;
Si manet hos rerum possessio, fundus et arva
Patria. De reliquo fælix hìc conjuge conjux;
Nam matronarum castissima turba, maritis
Semper, ut oportet, subjecta, fidelis. At ipsos
Sæpe viros, alienus amor mordetque tenetque.
Sunt dociles juvenes, verecundæ hilaresque puellæ.
Si, dominante semel vitio, quos contigit illic
Esse malos, extrema tenent, nec numina Cœli,
Nec barathri metuunt pestes; sine lege feruntur
Passio quò pellit, spretique licentia juris
Permittit. Contra, si vitæ pœnitet illos,
Rursum extrema tenent, vitæ melioris amore;
Pene sui obliti cælestes pectore flammas
Concipiunt, vivuntque piè, vitiisque resistunt.
Est et amans musicæ popolus: Lyra regia nostræ

Forsitan hinc statuunt regalia insignia gentis.
Arte lyræ, arte pilæ gens dextera. Rustica turba
Artificum refugit malè sanâ mente labores.
Otia plebis amor, domino aut servire potenti,
Vel sua, quod melius, mavortia tradere bello
Pectora, plebs armis, omni plebs apta labori.
  Nobilitas urgendo feras, indagine sylvas
Cingendo, aut falcones aves terrendo timore,
Aut lepores canibus lassando tempora fallit;
Flectit equos gyro, vel martia tela lacertis
Contorquet validis; cunctis gens apta palæstris;
Palladis, et Martis, regique, Deoque fidelis,
Pontifici, patriæque; hinc relligione tenaces.
  Ne linguam quæras: est sacræ filia linguæ
Proxima, voce, sono, similis, similisque figuris.
Hanc aliæ gentes dicunt nec dæmona posse
Discere, sive loqui. Fælix Hibernia, fælix
Sacraque lingua nimis, si fabula vera fuisset.
  Hiberni quondam propriis sunt legibus usi,
Legislatoresque suos habuêre peritos
Et justos reges, populo qui justa dedêre
Jura sono patrio, patriis scriptisve, typisve.
  Quæ regio in terris nostrorum nescia Divûm?
Quæ non sentit opem? Rumoldo Belgia templum
Magnificum extruxit: patrem veneratur et orat.
Luglius has pariter gentes lustravit, et alma
Dymphna Gelæ colitur, tædas exosa paternas
Regales quamvis: potius tulit esse parentis
Victima, quàm fœdis fœdata amplexibus esse.
Mono, Mombolus, Wiro, Vincentius, Etto
Quas non lustrârunt terras? miracula quæ non

Patrârunt? celebris nostro Franconia Divo
Kiliano: Helvetii Gallo: Gallique Fiacræ
Vota vovent: utrumque polum lustravit Hiberni
Ordo Columbani monachi. Kildaria virgo
Brigida, mirâclis notissima: filia regis
Scotorum (fuerat tunc, Scotia Major, Ierna;)
Regius hoc Divûm claudit Laurentius agmen,
Dublini sacer antistes, qui mortua vitæ
Corpora restituit; triduo licet illa sepulchro
Feterent. Præsul tantùm prece numina movit.
An vatem eximium Malachiam musa silebit,
Melliflui curam Doctoris, et orbis honorem?
Ille Deo plenus, quos sæcla priora tulêre
Pontifices, aut quos ætas ventura videbit,
Per signa dixit manifesta; sed acta prophetæ
Vitamque eximii, scripsit venerabilis Abbas
Bernardus. Qualis scriptor, te judice, Lector?
Prætereo innumeros quêis gaudet Iernia sanctos;
Namque omnes numerare potest, qui sidera cœli
Annumeret: nec enim dicta est Hibernia gratìs
Insula Sanctorum, dum Scotica regna manebant;
O Patria, O Divûm quondam pia cura! Penates
En erit illa dies, quâ nos Deus æthere ab alto
Visitet, et nostras iterum remeemus in oras!
Plurima sacra cohors, variorumque ordinum Iernam
Lustrârunt meritis, studiisque æqualibus omnes.

Has Benedictini, venerabilis ordo per oras
Innotuêre suis meritis studiisque: potentes
Evasêre bonis Dominorum ex munere. Quondam
Templarii valuêre: quibus sacer ordo Melites
Successit zelo meliore. Aurelius illic,

Patricio ducente agmen, multiplice crevit
Prole, quibus primùm præerat Patricius ; ipse
Canonicus voti ejusdem, gentisque patronus.
Plurimus hìc sacræ fuit olim cultor Eremi,
Sese Augustino jactant qui patre creatos.
 Hìc fuerat Bicolor, nudus caput, oraque lætus,
Dominicane, sacri non ultima gloria cœtûs.
Floruit hìc latè brevibus gens tecta cucullis,
E Frinciscanâ præclari stirpe nepotes,
Nudipedes patres, et tortâ cannabe cincti,
Ora alii rasi, neo-barbatique Quirites,
Conspicuâ pietate graves, tectique cucullis
Rhombosis. Illic nec defuit Tertius ordo.
Eliadûmque genus nostris habitavit in oris,
Incola Carmeli montis : pede nudus et alter
Inde reformatus. Tulit insinuatio tecta
Ad nos Ignatios, fidei quos impulit ardor.
 Invaluit quantum studiis Hibernia quondam,
Hisce metris sancti testatur vita Florenti ;
Exemplo fratrum commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos sophia mirabile claros.
Sed cum jam cimba voluisset adire, revectus,
Famosam gentem scripturis, atque magistris,
Appulit ad patriam, ventorum flatibus actus,
Nomine quam noto perhibent Albania longè ;
Ac remoratus ibi certè tunc quinque per annos
Indefessus agit votum, &c.
 His ita digestis Scotorum visitat arva,
Et mox scripturas multo meditamine sacras,
Legis divinæ scrutatur sæpe retractans.
Ast ibi per denos trinos jam placidus annos,

Congregat immensam pretioso pondere massam,
Protinùs argutâ thesaurum mente recondens.
Post hæc ad patriam remeans jam dogmate clarus,
Venit, et inventum multis jam dividit aurum,
Proficiens cunctis discentibus undique circum
Reges quem, populi, cleri, cunctique coloni,
Omnes unanimes venerantur mente serenâ.
Huic simile in vitâ Wilbrordi carmen habetur.
" Venerat occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens, divino plenus amore,
Ore sagax et mente vigil, et fervidus actu;
Ad te, temporibus Pipini, Francia fælix;
Quem tibi jam genuit fecunda Britannia mater,
Doctaque nutrivit studiis sed Hibernia sacris,
Nomine Wilbrordus, &c.

Scilicet antiquitus, studiis florentibus illic
Undique collectim studiosi classibus oras
Hibernas petiêre, et nos habuêre magistros.

Quàm quæsita fuit priscis Academia Cassel?
Hæ quantùm Europæ tunc innotuere Palæstræ?
Huc Angli, huc Scoti, huc advenêre Britanni,
Gallique, Hispanique, et candida pectora Belgæ.
Filius Hesperiæ regis, Casselia, quondam
Vester alumnus erat, studiisque imbutus abundè
Occubuit plenus meritis, pia mater, ademptum
Ornâsti tumulo. Decus est habuisse sepulcrum
Principis Hispani, studii qui motus amore,
Oceani, terræque tulit discrimina, donec
Littus ad Hibernum, ceu doctas venit Athenas.

Quid memorem Scotum Dunensi sidus ab urbe,
Sidus abhinc toti, quod latè illuxerat orbi.

Cui se prætulerit vix Divus Doctor Aquinas,
Illius in mentem jurat Lutetia : jurat
Orbis Romanus* natam sine labe parentem
Quis neget esse Dei, quod Scotus abundè probavit,
Doctor ab hinc audit subtilis. Magnus Ocamus
Irrefragabilis Doctor, subtilis alumnus
Doctoris voti ejusdem, gentisque. Cavellus
Magnus in hoc magnam mereatur carmine laudem.
Quid ? quòd et Hiberni doctrinæ semina Francis,
Et Belgis tulerint, testantur ut acta vetusta
Teste Buchannano, per metra sequentia, vate,
" Hæc quoque cum Latiis quateret Mars Barbarus orbem,
Sola propè expulsis fuit hospita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Grajæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoresque rudis, formatoresque juventæ
Carolus ad Celtas traduxit. Carolus idem
Qui Francis Latios fasces, trabeamque Quirini,
Ferre dedit: Francis conjunxit fœdere Scotos."
In Sancti vita Cuthberti hæc metra leguntur :
" Scotorum qui tunc habitaverat incola terris,
Cælestem intento spirabat corde sophiam ;
Nam patriæ fines et dulcia liquerat arva,
Sedulus ut Domini mysteria disceret exul."
Quàm studiis etiam gens est nunc apta, et Iberi,
Et Franci, Belgæque sciunt, Italique Bohæmique ;
His etenim multus studet exul Hibernus in oris,
Deficiente domi studio. Proh fata maligna !
Ira Deûm ! proh quæ sequitur sors invida gentem !

* i. e. Catholicus.

Non habet ira modum, vel nostra injuria finem!
Fors audire cupis gentis mavortia nostræ
Facta olim. Quis enim vel gesta recentia nescit?
Adverso quanquam nobis, proh numina! fato.
Ter legimus Danos valida cum classe repulsos
Finibus e nostris quos sub ditione tenebant,
Terribiles olim Dani. Boromæe Brienne
Magna Monarcha (tuo genero sociante Thadæo
Principe O'Kelleæ stripis) tum fortè diebus,
Clontarvis multo commisso milite in arvis,
Ejecisti hostes patriæ, dicamne tyrannos.
  Scilicet in durâ tenuêre tyrannide gentem;
Relligio violata, nec hospes ab hospite tutus;
Conjugii violata fides, violataque jura,
Insidiæque, et vis, atque ultima crimina regnant
Sub Danis, donec Deus ipse misertus Iernæ,
Accenditque animum regis, qui, milite pauco
Expulit immites Danos, sævosque tyrannos.
  Aggere congesto quin propugnacula cernis
A Danis extructa; per intervalla locorum,
Excubiis positis, qui, facto lumine, signa
Mutua fecerunt, si qua fòrs parte veniret
Hostis ut incautum perimat, vel, fortior armis
Sedibus expellat terreno ex aggere factis.
  Non abiêre tamen vacui de littore Dani
Quin et divitias regni rapuêre, librosque.
Libros amissos, quos nunc Hibernia luget.
  Nunquid ad Albiones, Hibernia nostra colonos
Transmisit Scotos, Pictorum et sanguine Thulen
Extremam opplevit: maduerunt Saxone fuso
Orcades: haud Britones Romana potentia contra

Hibernos potuit defendere. Rudera muri
Quin hodie cernis, quem olim struxêre Quirites
Hibernos contra, rapientes cuncta Britannis.
Utrinque hunc murum prælongum terminat æquor.
Idque iterum Scoticus testatur carmine vates.
Ne tamen Albiones putet, hic victoria fixit
Præcipitem Romana gradum, quem non gravis Auster
Reppulit, incultis non squallens Parthia Campis,
Non æstus Meroe, non frigore Rhenus et Alpis
Tardavit, Latium remorata est Scotia cursum.
Solaque gens mundi est, cum qua non culmine montis,
Non rapidi ripis amnis, non obice sylvæ,
Non vasti spatiis campi Romana potestas,
Sed muris, fossaque sui confinia regni
Munivit: gentesque alias compelleret armis
Sedibus aut victas vilem servaret in usum
Servitii, hic contenta suos defendere fines,
Roma securigeris prætendit mœnia Scotis.
Audi alibi vatem. Quid habet sine milite Scoto.
Nulla unquam Francis fulsit victoria castris
Nulla unquam Hectoridas sine Scoto milite clades
Sævior oppressit. Vates Stiliconis* honores
Qui celebrat, habet hæc, "maduerunt saxone fuso
Orcades; incaluit pictorum sanguine Thule,
Scotorum flevit cumulos glacialis Ierna."
"Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.

* Claudianus de laudibus Stil.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, totam cum Scotus Iernen
Movit et infesto spumavit remige Thetis.
Sparsas imperii vires constringit in unum
Depositum: quæ Sarmaticis custodia ripis,
Quæ sævis objecta Getis, quæ Saxona frenet
Vel Scotum legio: quantæ cinxêre cohortes
Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus."
Venit et extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exanimes, Picto moriente, figuras.
Credite nunc omnes quas dira Britannia gentes
Quas Rhenus, quas Ister alit, pendere paratas
In speculis: unò tot prælia vincite bello:
Romanum reparate decus, molemque labantis
Imperii fulcite humeris: hìc omnia campus
Vindicat: hæc mundo pacem victoria sancit.
Lector, habes quædam Scotorum gesta vetusta.
Saxones, hos contra, quondam induxêre Britanni;
Nunc infælices Britones servire coacti
Illis, auxilii quos spe vexêre per æquor,
Gentis in opprobrium nostræ, opprobriumque Britannæ;
Quando pati patres et Hibernica jura nequibant,
Extremum perferre jugum, et servire coacti.
Attamen Albionum nostri dominantur in oris
Nostràque adhuc Scotis, ipsis gens nostra Britannis
Imperat, ac Anglis: si non per membra, per ipsos
Præsertim reges, nostra de stirpe creatos.
An quia fatalis lapis est Hibernus in aulâ
Anglorum, de quo nostri scripsere priores;

"Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Inveniunt lapidem, regnare tenentur ibidem."
Hunc lapidem Ægypto duxêre Gatelides olim
Per terræ tractusque maris: miracula saxo
Quisquis inesse putet. Nec enim regalia sceptra
Imponi patitur capiti, quod origine regum
Parte aliqua non sit: quin protinus ille gemiscit
Immugitque lapis, cum rex superinsidet olli,
Qui non legitimus fuerit. Fors saxea corda
Regem aversantur, quis iniquâ fraude creatur,
Transferri nec regna sinant hærede remoto
Legitimo. Hoc toties nostris in regibus olim
Sæpe, vel eventu correspondente probatum est.
Hac quoque de causâ lapidem Scotus ortus Hibernis
Duxit ad Albiones, et pòst Jacobus ad Anglos.
Anglorum prior hic nostrâ de stirpe monarcha:
Hic lapis, hic regni nostri quoque summa locata est.
Prætereo nostros Gallorum littora classe
Oppugnâsse olim, et mavortia signa per Alpes
Duxisse. Haud unus nostrâ de Gente Monarcha
Occidit ad Ligerim, vel fulmine tactus ad Alpes.
Inter captivos, fælice sed omine, Gallos
Patricium legimus venisse deinde subulcus
Ter denis annis servivit in æde Saballi;
Inde redemptus ab Aligero remeavit ad oras
Armoricas* (fuit inde nepos, O maxime præsul
Ille tuus, Martine) Deo jam plenus Iernam
Immersam tenebris miseratus; rursus Iernam

* Armorica signifies that part of France which lies between the mouth of the river Loire and that of the Seine.

Ingratam gratus, Papa exhortante, revisit.
Ter denis aliis, quà magnus Apostolus, annis.
Intulit ille fidem nobis, ritumque colendi
Cælicolas. Sed quas lacrymas, quæ funera causat
Unius uxoris raptus? tot origo malorum
Fæmina nostrorum. Trojam Menelaia conjux
Perdidit, et nostram gentem regina Conori
Regis. Eam rapuit princeps Lagenius: illum
Rex indignatus, patriâ spoliavit, et ipsâ,
Ni fugeret, vitâ. Princeps fugit exul ad Anglos;
Auxilium implorat regis; rex annuit; Anglos
Mittit in auxilium: Comes his cognomine Strongbow
Præfuit: hic factus gener Exulis, Exul et ipse.
Redditus inde bonis patriæque: deinde secuta
Pax regni, paucos sed duratura per annos;
Cum regni proceres sese civilibus armis
Impeterent. Papæ hinc mittunt diadema, sed ille
Anglorum regi missum diadema remittit.
An litem ut proceres inter componat et inde
Restituat regi missum diadema merenti?
Anne dolo (Papa Anglus erat) quidcunque sit, Angli
Gentis adhuc nostræ retinent, proh fata! coronam.
Hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc odia aspera gentem
Inter utramque. Fide discordia dispare crescit.
Sed quid ego hæc? varius jam me vocat incola nostræ
Gentis. Ut incipiam: tumidarum rector aquarum
Viventûm genus omne tulit, Cypriumque calorem,
Fluctibus extinxit, totum cataclysmate mundum
Punivit meritò. Bis senis Arca Noemi,
Mensibus errat aquis subitis. Sex inde bis annis

Post tria sæcla, mari vectus prior incola Fodlam.*
Partholanus adit; quam trina decennia tantùm
Incoluit, genus omne tulit cùm pestis acerba.
Desertam lustris sex inde Nemethia proles
Sæcla duo, bis et octo annis habitavit, ad altæ
Excidium turris, vestri, Conange, laboris.
Bis duo sæcla iterum, senisque bis exstat aristis,
Montanis data præda feris. Cultoribus orbam
Belgica gens tandem, socians que Galenia pubes
Asseruêre sibi; dominantur pignora Delæ
Quinque quibus, Rex inde tuus fit primus, Ierna
In quinas divisa plagas paret insula quinis
Fratribus, et proprio regitur pars quæque monarcha.
Sex decies per lustra, novem gens Belgica reges
Annumerat: quinos fratres horumque nepotes
Quatuor. Arctoâ redeuntes gente Dananni,
Classe gravant pelagum, Nuado duce, regna, Nemethi
Restituunt, regesque novem per bina dederunt
Sæcla, tribus demptis annis, primusque Breasus
Illorum diadema gerit, quem septimus annus
Abstulit: et Nuadus per bina decennia regno
Præfuit. Hunc sequitur Lugad per lustra quater bis,
Contemptor superûm per lustra bis octo regebat
Dagdaus imperium. Succedit filius Ogmæ
Dalboethus patruo bis quinis: bisque Fiachus
Succedens patri quinis regnavit aristis.
Ter denis annis, postremi ex gente Danannûm

* Nomen Hibernicum.

Tres, alternatim reges capit insula fratres.
Interea classem solvunt Gatellides oris
Cantabricis, gens orta Schytis, cædemque parati
Ulcisci patriam; vastum maris æquor arandum
Suscipiunt, fusisque gerunt diadema Danannis,
Gentis Inisfaliæ.* Post quartam tertia luna
Luxque sacrata Jovi, Maiæque fuêre Calendæ
Scotorum adventûs tempus, cum structa Jehovæ
Templa Davide satus, cum thuris honore dicavit.
Classis Iberiacæ post tot discrimina belli
Emicuere duces, Herimon, Heber, Hirus, et Ithus.
Milesii proles Herimon, Heber, Hirus, et Ithus,
Patruus; hinc veniunt, numerat quot Hibernia reges,
Majores nostros, quos sectio continet altra.
Nunc juvat Hibernas regiones dicere et urbes.
Quatuor in magnas secta est Hibernia partes
In Comitatus hæ sectæ, partesque minores.
Momonia est Austro, septem subjecta trioni
Ultonia: occasum Connactia spectat, et ortum
Lagenia. His subsunt Comitatus jure sequentes.
Dublinum, Kildar, Louth, utraque Midia, Longford,
Reginæ et Regis Commitatus, Wicklo, Catherlagh,
Kilkenny et Wexford, Lagenia possidet omnes.
Momoniam, Limbrick, Typeraria, Clara, Kierry,
Cruxque Typerariæ, Waterford, Corka sequuntur.
Jura sed Ultoniæ, Dunumque, Armachia, et Antrim,
Atque Feramannach, Londinodoria, Tiron,
Cavana cum Dungal: Connactia jura sequentes:

* Nomen Hibernicum.

Galvia, Roscomman, Sligo, Mayo, et aspera Leitrim,
Montibus : in toto Comitatibus ergo duobus
Supra triginta, guadebit Hibernia, suntque
Urbes præcipuæ: Dublinum, Galvia, Limbrick,
Waterford, Wexford, Corkogia, Draheda, Kinsal,
Roscomman, Charlmont, Londinodoria, Sligo,
Et plures aliæ : quibus est Athlonia jure
Annumeranda ; suo castroque et ponte decora;
Stirpis O'Kelleæ sedes Athlonia quondam.
Hostili toties Athlonia tincta cruore;
Ni magis Aghramiam fortuna novissima gentis
Sanguineam faceret (altera est O'Kellia sedes)
Utraque majorum sedes notissima bellis.

Nunc superest tredecim gentis miranda referre,
Quæ comprensus erat metris Flahertius illis.

1.

" Temoriæ nani tumulum lapis obtegit in quo
Vir, puer, aut infans tres et non amplius æquat.
Quisque pedes longo ; numerum discrimine nullo
Multiplicat, minuitve, pedum proportio dispar.

2.

Terra ferax sylvis tumulos Amlunnia jactat
Quos simul ac quisquam numerat, fælicior olli
Desinit inde status ; sed protinùs omnia lævo
Omninò lapsa ruent suscepta negotia retro.

3.

Est lacus Ultoniæ, Neachum quem nomine dicunt
Cujus si quivis aquilentam affigat ad imum,

In tres septenis species distinguitur annis;
Pars fundo ferrum, cos fluctibus, arbor aprico.

4.

Monte situs Gamo fons est, Sligoensibus agris
Qui licet oceani non sit conterminus oræ,
Quoque repletur aquis modò dulcibus, et modò salsis,
Sole bis alternis semper variabilis undis.

5.

Mons est Lageniæ piscosi in margine Liffei,
Fons ubi naturæ permanat munere præstans;
In quem de nuceo projectus stipite ramus,
Fraxineam assumens formam, fit fraxinus undis.

6.

Insula Iniskæa, scriptis ut fama priorum
Credula commendat, regio qua prominet Irras
Oceani in fluctus, grus est ab origine rerum
Unica, sideribus minimè consumpta coævis.

7.

Cernere Inisgloria est pelago, quod prospicit Irras,
Insula avos, atavosque solo post fata sepultos,
Effigies servare suas, vegetisque vigere
Unguibus atque comis: hominum caro nulla putrescit.

8.

Littore Eothulio, Sligoensibus insuper agris,
In medio refugo vix emminet æquore arenâ
Congeries lapidum; tamen accedentibus undis,
Vertice nuda sali refluos superemminet æstus.

9.

Districtu Mayo fons, atque Tyrauliæ in oris
Loch-canis ad ripam spatio remeabilis æquo
Exundante lacu, vel subsidente scaturit;
Proximus accessu fugiens, rediensque recessu.

10.

Momoniæ stagnum Lochlenius undique zonis
Quatuor ambitur; prior est ex ære; secunda
Plumbea; de rigido conflatur tertia ferro;
Quarta renidenti pallescit linea stanno.

11.

Visibilis nulli ramis vetus arbor opacis
Palma datur; si palma dari dicatur, imago
Cujus aquis Magii cataractam propter amœnam
Cernitur, ast alibi nullum (mirabile) corpus.

12.

Galvensis regione lacus Loch-Rechius urbis
Multicolor, variat diversos sæpe colores;
Qui modò cæruleus, modò luteus, inde rubescit;
Monstrat et hinc virides quandoque Smaragdinus undas.

13.

Effectum ostendit, sed causas Asdia nullas;
Res signata latet, dum signum fumat in auras,
Argumentum ignis; quem nullo fomite nutrit
Asdia, fumosos semper mentita vapores."

Quæ collecta vides e multis paucula, Lector,
Ista brevi claudit mea sectio carmine prima;
Altera dat nostros numerosos carmine reges.

ALTERA DESCRIPTIO HIBERNIÆ.

Dum hæc scriberem, incidit in manus meas Elegia sequens a D. Nicolao Aylmer Præsbytero Hiberno composita, Hiberniæ descriptionem in eundem quasi sensum paucis complectens; ad cujus calcem adjecta sunt Auctorum testimonia, ne auctor veredicus et zelosus patriæ adulari vel adblandiri videatur. Quibus et ego, eadem de causâ, collecta a me testimonia adjunxi, quæ omnia tam ipsius, quàm meæ narrationi fidem dubio procul conciliatura sunt, ut æquus rerum arbiter, et Lector quisque indifferens facilè judicare poterit. Porro dicta Elegia Leopoldo Wilhelmo Archiduci Austriæ Belgarum P. T. Gubernatori, Ord. Teut. M. Magistro dedicata est, ut ex his carminibus colligere est.

Accipe clementi terrarum nate Monarchis,
  Palladis et Martis spes, Leopolde, manu.
Quos tibi versiculos devotâ mente patrono,
  Hoste, dolo, pennis obruta terra dicat.
Et lege quæ vultu tellus Hiberna sereno,
  Commoda dat portus, arva, metalla, feras.

ELEGIA.

Frigida, quò tardus sequitur sua plaustra Bootes,
Cingitur oceano Dædala terra mari.
Terra thronis regum, sceptrisque minacibus apta
Æquoris imperio, fertilitate soli.
Portubus innumeris statio benefida carinis
Quas gravis insanæ Tethyos ira quatit.
Fluminibus dotata suis, quæ mercibus urbes,
Piscibus, et variâ commoditate beant.
Sæclis dicta novis Hibernia, nomen et illi
Temporibus patrum Scotia Major erat.
Dulcis aquæ stagnis regio, lacubusque profundis
Plena, quibus piscis circinat omne genus.
Hic sua Neptunus statuit vivaria priscus;
Ruricolisque suis horrea feta Ceres.
Saltibus et sylvis distinctus flumine multo,
Fructibus, et gratis floribus, uber ager.
Montibus emanant fontes, et cautibus altis,
Labentes leni murmure dulcis aquæ.
Planities glebæ segetum spatiosa feracis
Multiplices messes unde colonus agit.
Prataque luxuriant fluviis divisa vadosis,
In quibus est propriæ præscia mortis olor.
Sponte suâ merces, quales Hibernia fundit;
Ni videant oculi, vix adhibenda fides.
Viscere fructifero spondet sua munera tellus
Vendit at assiduo cuncta labore Dii.
Abstruso permulta sinu pretiosa metalla;
Lucroso artificum digna labore fovet.

Insulsè sileat scriptorum penna tonantûm;
Hoc pene immune est fertilitate solum.
Scriptores lector fidos celebresque sagaci
Ingenio et calamo consulat Historicos.
Inde laboranti tellus Hiberna colono
Cernet quas fundet fertilitatis opes.
Marmora nervosus vario miranda colore
Hic latomus doctâ quæ polit arte, fodit.
Hic alabastra latent, stannum, lapidesque molares,
Electrum, æs, plumbum, sulphur, et acre nitrum.
Ferra dat in Martis duri, ceu vomeris usum,
Vulcani incudis discutienda foco.
Plura quid? assiduus fodientes edocet usus
Quæ gremio innatæ fertilitatis alit.
Arma parent alii lucro, quæstuque monente,
Indorum structâ littora classe petant.
Nil opus Hiberno longinquum quærere littus,
Lucriferas merces patria culta dabit.
Hibernas nôrunt argenti, aurique fodinas,
Carole, thesauri, magne Monarcha, tui.
Ambar, gemmiferas piscoso in littore conchas,
Multaque mercator, dat, quibus auget opes.
Æris et argenti latitat rimator, et auri,
Lydius hac notus proprietate lapis.
Crescit et in lucrum cultis genialibus arvis,
Qui reficit multùm languida corda crocus.
Hic cur nulla tument Bacchi vineta racemis?
Negligit hos cultor desidiosus agros.
Navibus et malis Hiberno robore sectis
Cæruleum lætus navita sulcat iter.
Hæc regio nescit Capricorni spicula dura

Æstivasque tuas cancer aduste faces.
Bruma licet nivibus faciem telluris obumbret
Asperitasque gelu corpora viva premat.
Tertiâ temperie, moderatique aëris aura,
Penè nives fusas dissipat orta dies.
Cespitibus, furviqe calent carbone camini,
Fascibus his mixtis pigra levatur hiems.
Exulat hinc pestis; frenantur limite morbi,
Tardius hinc multos trux Libitina metit.
Febris acuta tamen multorum corpora stringit,
Ut quinta Lachesis stamina luce secet.
Hìc natura suas miratur provida vires,
Abiete dum natas arbore cernit aves.
Cur volucrum patitur nullas transire volatu
Militiæ Angelicæ petra dicata duci.
Neachique lacus lignum qui fissile durum
In ferrum et lapidem vertère pollet aqua.
Fertilis ut frugum, pretioso et feta metallo,
Sic volucres, pecudes, nutrit et illa feras.
Præstat equos ducibus Gradivi in prælia natos,
Ruricolis donat fortia colla boum.
Hìc armenta boum levibus promiscua cervis,
Vallibus umbrosis pascua læta legunt.
Falco ferox rostro, rapidis munitus et alis,
Infirmis avibus bella diurna movet.
Altivolans radiis pullos solaribus ales,
Hic probat et nido dejicit ungue nothos.
Hic martum pelles, ovium hic largitur ovile
Vellera; vix Seres nobiliora comunt.
Ubera plena Pales fordis dat, roscida mella,
Floribus e lectis innuba nectis apis.

Hic parat insidias ovibus gula fœda luporum,
Hicque molossorum sternitur ore lupus.
Ostrea, perdices, lepores, in fercula condit
Ventricolûm mensis deliciosa coquus.
Piscator pisces, volucres hìc decipit auceps,
Venatorque vagas casse tenace feras.
Sibilat hìc serpens nullus nec rana coaxat,
Bufove ventroso pectore virus alit.
Littus in Hibernum vecti telluris odore
Serpentes cum animâ toxicon omne vomunt.
Palladis et Martis cunctis gens apta palæstris,
Viribus Herculeis pollet et ingenio.
Hanc refovet gentem modulamen dulce canentum
Vatidici regis carmina culta lyrâ.
Nobilitas venando feras, sua tempora fallit,
Flectit equos gyro, Martia tela probat.
Plebs fugit artificûm malesuadâ mente labores,
Hibernæ hinc aliis conglomerantur opes.
Sanctorum celebris, Doctorum nota sophorum,
Clara ducum, sævi Martis et illa parens.
Gens hæc et tellus naturæ fœderis armis,
Corporis ac animæ toxicon omne, domat.
Hæresis illa animas laqueantis despicit artes,
Serpentum tellus virus odore necat.
Fida suæ nutrix fidei, quam sanguine Christus
Sanxit, quam Petrus, Patriciusque dedit.
Quam docuere patres, priscis tenet usus ab annis,
Quam stabilis fidei, Roma, columna tenet.
Luglius hanc docuit, crudeli morte Rumoldus,
Plexa paternali Regia Dymphna manu.
Mono, Mombolus, Wiro, Vincentius, Etto,

Necta tyrannorum, ac plurima turba dolis.
Quæ regio in terris Hiberni ignara laboris
Quæ vivæ fidei dogmata sana colit?
Kiliano celebris divo Franconia, Gallo
Helvetii, Fiacro Gallia vota vovet.
Nonne Columbani Monachorum pervigil ordo
Lustravit meritis solis utrumque polum?
Ignis inextincti Dariæ, qui crescere nescit
Ævis tot lapsis (Brigida virgo) cinis?
Regius hoc auget patrum Laurentius agmen
Æternum Sedis Dubliniensis honos.
Lazarus emoritur; Christo mandante resurgit
Inclusus tumulo qui triduanus erat.
Inflectit precibus Christum Laurentius, adstat
Tertia defunctum videt orta dies.
Quot loca devotè cœli meditantibus arces,
Sanctorum meritis percelebrata tenet?
Patricii cumulus minitanti vertice cœlo
Quas biberit lacrymas, audiêrit preces?
Fletibus, et gemitu, fusumque cruoribus antrum,
Quot movit lassa, pectora tusa manu?
Et tua quot (Michael) cautes, lectusque Kaini
Vota preces, lacrymas, fervida corda notat?
Arma quid hìc memorem majorum? gestà moderna
Gallus cum Belgis Imperiumque videt.
Nota fide, pollens armis, gens pectore fido,
Attamen hæc scoriam, ut cuncta metalla, tenet.
Eruit hæc calamus monumentis obruta priscis,
Quæ, qui plura volunt scribere, lecta dabunt.

AUCTORUM TESTIMONIA.

1. Beda, Cap. 1. *Historiæ Anglicanæ.*

"Est autem Hibernia omnium, post Britanniam, maxima, ad occidentem quidem Britanniæ sita."

Isidorus, Lib. XIV. Cap. 6. *De Insulis.*

"Scotia eadem et Hibernia, proxima Britanniæ insula, spatio terrarum angustior, sed situ fecundior."

2. Surius I. *Julii in vitam S. Rumoldi.*

"Insula omnium terrarum gleba fecundior."

Cambrensis, Dist. I. Cap. 4. *Topographiæ Hiberniæ.*

"Glebâ præpingui, uberique frugum proventu; fælix terra est, et fecunda frugibus arva, pecore montes, &c."

"Idem pulchrè testatur sequens Hiberniæ descriptio in vitâ S. Brigidæ ex Vaticano desumpta, his versibus comprehensa.

"Finibus occiduis describitur optima tellus
Nomine, et antiquis Scotia scripta libris.
Insula dives opum, gemmarum, vestis, et auri,
Commoda corporibus, aere, sole, solo.

Melle fluit pulchris et lacteis Scotia campis,
  Vestibus, atque armis, frugibus, arte, viris.
Ursorum rabies nulla est ibi; sæva leonum
  Semina, nec unquam Scotica terra tulit.
Nulla venena nocent, nec serpens serpit in herbâ
  Nec conquesta canit garrula rana lacu.
In quâ Scotorum gentes habitare merentur,
  Inclyta gens hominum milite, pace, fide.
De quâ nata fuit quondam sanctissima virgo
  Brigida Scotorum gloria, nomen, honor."

3. TACITUS *in Vita Julii Agricolæ, apud Lombard.* Cap. 11. Commen.

"Quod tam Hiberniæ quam Britanniæ suo tempore meliùs aditus, portusque per commercia et negotiationes cogniti."

Quibus paulo infra sic addit ipse LOMBARD:—

"Primo, sciendum est, quod hìc et plurimi sint, et optimi portus, qui nimirum et accessum habent facilem, et fidam præbent stationem, adeo quidem, ut in istâ etiam parte Hibernia longè Britanniam superet."

4. GIRALDUS CAMBRENSIS, Dist. I. c. 6. *Topograph.*

"Fluminibus egregiis primoque a tempore, primi terræ istius post diluvium incolæ, scilicet Partholani, principalibus, et famosis novem scinditur, et rigatur insula; quorum nomina sunt hæc: Avenliffius per Dubliniam; Bonna per Ultoniam; Moadus per Connactiam, &c."

C

5. Conradus a monte puellarum, qui et floruit anno 1340, *in Vitâ S. Erchardi.* viii. Jan.

"Floruerunt, in area tempestatis fluidæ, viri sancti in Hibernia, quæ Scotia Major dicebatur, et se dispeserant in numero multo, per omnia Franciæ et Galliæ loca, &c."

Sequens testimonium ex Breviario Aberdonensi *in Vita S. Winniani* probat dari Scotiam Minorem, ibi :—

"Winnius ex Scotica provincia ortus ex illustri regum stirpe . . . . . . paratis nonnullis clam classibus . . . . prospero vento et fælici in Scotiam Minorem delatus est, &c. Quod autem antiquitùs Hibernia, Scotia dicebatur, probant sequentes auctores. Auctor vitæ S. Kiliani apud Serarium. Scotia quæ et Hibernia dicitur, insula est maris oceani, fecunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior: e quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Allemannia, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur."

Chronicon Mundi, Fol. 132.

"S. Kilianus Episc. in Francia Orientale, hoc tempore claruit. Is genere Scotus de nobilibus natus parentibus, ex insula Hiberniæ, seu Scotiæ, fecunda clarissimis viris."

Isidorus Lib. XIV. Cap. 6. *de Insulis.*

"Scotia eadem quæ Hibernia, proxima Britanniæ insula."

AUCTOR *Vitæ S. Colum. apud Capgravium.*

"Hibernia antiquitùs Scotia dicta est, de quâ gens Scotorum! Albaniæ quæ ab eventu modò, Scotia dicitur, originem duxit."

MARIANUS *ad ann.* 687.

"S. Kilianus Scotus de Hibernia insula natus."

OROSIUS, Lib. I., Part 20.

"Hibernia a Scotorum gentibus habitatur."

BEDA, Lib. I. *Hist. Angli.*

"Hibernia propria patria Scotorum est."

CÆSARIUS, Lib. XII. Cap. 38.

"Scotiam pergant, Purgatorium S. Patricii intrent."

PETRUS CANISIUS *in Vita S. Fridolini,* Cap. 2.

"Quæ ad solem Occidentem est Scotia, vocatur Hibernia."

FULGOSIUS, Lib. IX.

"Britanniæ insulæ pars Septentrionalis recentiore nomine Scotia appellatur."

GRETSERUS *de Benedictionib.* Lib. I. Cap. 2, 11.

"Vetus Scotia, Hibernia appellatur."

Vide Testimonia Vaticani, ut supra.

6. Cambrensis, Dist. I. Cap. Septimo, *Topograph.*

"Lacus quoque plurimos, et pulcherrimos, piscosos, et grandes præ aliis terris quas vidimus, quasi speciale quid hæc terra profert."

7. Bartholomæus Anglicus, Lib. XV. Cap. 80.

"Est autem insula frumentariis campis uberrima, fontibus, et fluviis irrigua, pratis et sylvis amœna, in metallis fecunda, et gemmifera."

8. Lombardus, Cap. 11, *Comment. Hibern.*

"Sylvæ hic sunt multæ, atque magnæ, sic et ligna copiocissima atque commodissima ad omnia sui generis opera, atque instrumenta, et ad naves quidem extruendas magnum hactenus emolumentum, atque usum Angliæ præstiterunt."

9. Giraldus Cambrensis, Dist. I. Cap. 4.

"Videas hic igitur supra montes aquas stare, in summis enim aereorum, arduorumque collium, verticibus, stagna reperies et paludes."

10. Barth. Angl.

"Planities habet per loca pulcherrimas . . . glebæ præpingui uberique frugum proventu, fælix terra est, et fecunda frugibus arva, pecore montes."

11. Solinus, Lib. III.

"Hiberniam ita pabulosam, ut pecora, nisi interdum a pascuis arceantur, in periculum agat satietas."

12. Cambrensis, Dist. I. Cap. 2.

" Quæ (videlicet Hibernia) quantò a cætero et communi orbe terrarum semota, et quasi alter orbis esse dignoscitur; tantò rebus quibusdam naturæ cursui incognitis, quasi peculiaris ejusdem naturæ thesaurus, ubi insignia et pretiosiora sui secreta reposuerit, esse videtur."

13. *Item*, Dist. III. Cap. 10.

" Metallorum quoque diversorum genera, quibus venæ scaturiunt interiores, ejusdem otiositatis vitio, nec ad usum prodeunt, nec proficiunt."

Lombard, Cap. 9, *Comment.*

" Sunt hic et quidem copiosè, mineralia plurima, ut argentum vivum, alumen, vitriolum, sulphur, antimonium; imo et metalla in suo quæque genere admodum præstantia."

14. Lombard, *loco jam citato.*

" Est et hìc copia marmorum, et hæc triplicis plerumque generis, nempe, cæruleum, album, et nigrum."

16. " Est etiam Alabastrum in septentrionali reregionis parte." *Idem.*

17. " Et tam in istis conchis quàm in littoribus, multæ inveniuntur Margaritæ, ex quibus aliquot magni satis pretii, licet non tanti sint splendoris quàm quæ ex Oriente adferuntur."—*Idem*, cap. 9.

"Quin et lapis Lydius hic abundat, idque non procul a civitate Dubliniensi."

19. Barthol. Anglicus.

"Ibi gignitur lapis hexagonus, scilicet Iris, qui soli oppositus, format in aere cælestem arcum."

20. Beda, *Hist. Angl.*

"Dives lactis ac mellis insula, nec vinearum expers, piscium, volucrumque, sed et cervorum venatu insignis."

21. Barthol. Angl.

"Quantum ad salubritatem cæli est Hibernia regio valde temperata: modicus est ibi excessus vel nullus in frigore vel calore."

22. Cambren. Dist. Cap. 25.

"Terra terrarum hæc omnium temperatissima. Non cancri calor æstuans compellit ad umbras; non ad focos Capricorni rigor urgenter invitat."

23. Lombard. Cap. 9.

24. "Ad fomentum ignis præter lignorum copiam, effodiuntur etiam cespites duplicis generis; alii minores et duriores; alii molliores et majores: et cum antehac necessum fuerit, ex Britannia eos adferre carbones lapideos quibus utuntur fabri ferrarii, nuper in Hibernia ipsa ejusmodi reperti, et quidem optimi qui ad usum commodius multò eruuntur."

25. Cambren. Dist. Cap. 25.

"Aeris quoque clementia tanta est, ut nec nebula inficiens, nec spiritus hic pestilens, nec aura corrumpens. Medicorum opera parum indiget insula." "Nemo unquam indigenarum, terram, aeremque salubrem non egressus, ullâ trium generum specie febricitavit, sola vexantur acuta eaque perrarò."—*Idem.*

26. Cambren. Dist. I. Cap. 19.

"Habet enim cervos præ nimia pinguedine minùs fugere prævalentes, quantòque minores sunt corporis quantitate, tantò præcellentius efferuntur capitis et cornuum dignitate."

27. "Accipitres ergo et falcones, et nisos, quibus ad nobilium delicias animosa pectora rostraque recurva et acuta, pedes unguibus armatos aptosque prædæ natura dedit, præ aliis regionibus, hæc copiosè producit."—*Idem*, cap. 8.

28. "Aquilarum quoque non minorem hìc copiam, quam alibi milvorum videas."—*Idem*, cap. 9.

29. "Aves istæ in ipsos solaris corporis radios irreverberato lumine aciem defigunt oculorum tenerosque fœtus (ut fertur) ad idem erudiunt vel invitos."

30. Lombard, Cap. 10.

"Denique generantur hìc pulcherrimi ac præstantissimi totius (ut putatur) Europæ venatici canes, iique etiam diversorum generum; sunt alii partìm communi cum aliis regionibus formâ, et quantitate,

aptissimi ad insequendos lepores, et cuniculos, et vulpes; partim majores multò ad cervos, apros, lupos capiendum valentissimi."

31. Beda, Cap. 80.

"In Hiberniâ nullus est serpens, nulla rana; nulla aranea venenosa. Ideo tota terra adeo est contraria venenosis, ut terra inde delata et sparsa serpentes perimat et Buffones."

32. "Nam sæpe illò de Britanniâ allati serpentes, mox ut proximante terris navigio, odore aëris illius attacti fuerint, intereant: quin potiùs omnia penè quæ de eadem insulâ sunt, contra venenum valent. Denique vidimus quibusdam a serpente percussis, rasa folia codicum, qui de Hiberniâ fuerunt, et ipsam rasuram aquæ immissam, ac potui datam, talibus protinùs totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis adsumpsisse ac sedâsse tumorem."—*Idem.*

33. Lombard, Cap. 12. *De Hibernis.*

"Ad mititiam sunt affecti, et ad eam cum primis quibusque apti nationibus, utpotè animosi, fortes, expediti, patientes laboris, et inediæ, appetentes gloriæ, et capacissimi cùm totius disciplinæ militaris, tum usus, atque exercitii armorum omnis generis."

34. "Hibernici gens corpore valida et robusta, audax naturâ, ingenio acri et bellicosa, agilis, animo forti et elato, vitæ prodiga, gloriæ avida, hospitibus perbenigna, amore constans, crudelitate levis, conu meliæ et injuriæ impatiens."—*Idem.*

35. Cambrensis, Dist. III. *Topograph.* Cap. 11.

"In musicis solum instrumentis commendabilem invenio gentis istius diligentiam, in quibus præ omni natione, quam vidimus, incomparabiliter est instructa. Hibernia quidem tantùm duobus utitur et delectatur instrumentis cytharâ scilicet et tympano."

36. Guliman *in Vita S. Florentii.*

"Hibernia sanctissimorum doctissimorumque officina."

37. Marianus, Lib. II. p. 375.

"Plurimis Sanctis, et innumerabilibus viris Hibernia plena habetur."

38. Surius et Molanus.

"Stellarum prope numerum Sanctorum patrociniis Hibernia æquat."

39. Auctor *Vitæ S. Sulgeni.*

"Exemplo patrum commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos sophiâ mirabile claros."

40. Beda, Lib. III. *Hist. Angl.* Cap. 27.

"Hæc autem plaga Hiberniam quoque insulam pari clade premebat. Erant ibidem eo tempore multi nobilium simul et mediocrium de gente Anglorum, qui relictâ insulâ patriâ, vel divinæ lectionis, continentioris vitæ gratia eò secesserant et quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter

mancipaverunt. Alii magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes, Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, et magisterium gratìs præbere curabant."

41. Camden. *in sua Britanniâ*, p. 730.

"Anglo-Saxones etiam, illâ ætate, in Hiberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam undique confluxerant: unde viris sanctis sæpissime in nostris Scriptoribus legitur."

42. Baronius, *ad annum* 1053.

"Hibernia est Christianæ fidei tenacissima. Omnium vicinarum gentium fidem excellit."

43. Flodoards *in Vitâ S. Helani.*

"Omnibus vicinis gentibus fide præpollet."

44. Bosius *de Signis Ecclesiæ*, Lib. VIII. Cap. 1.

"In Hibernia non modò semper Catholica religio perstitit, sed inde viri sanctitatis illustrissimæ prodiêrunt."

45. *Hist. Soc. Jesu.* Lib. III. No. 45.

"Intactam Catholicam fidem et sincerissimam erga Romanum Pontificem, obedientiam animo ac voluntate Hiberni servant."

46. FERREOLUS *in Chron. Belgico.*

"Mechliniæ passio S. Rumoldi, gloriosissimi martyris, atque Pontificis, Scotorum regis filii, signis et doctrinâ mirabilis : in Brabantia villâ quæ Gela nuncupatur S. Dymphnæ virg. et mart. quæ propter fidem et amorem castitatis decollata est a proprio genitore, rege Pagano."

47. MODANUS *ad* 10 *Julii.*

"Dum autem Hellinus vir illustris aliam ædificaret (scilicet Ecclesiam) invenit cum Analfrido presbitero, quem S. Etto a ferreis compedibus eduxerat, in prioris Ecclesiæ muro, duo Brevia. In quorum uno legi (inquit appendicis hujus narrator.) In hoc loco Hiberniensium Episcopus Etto mansionem habuit. In altero. Hic reposuit Etto Hibernicensis Episcopus de corpore S. Clementis Papæ et Martyris."

48. S. BERNARDUS *in Vita S. Malachiæ,* Cap. 5.

"E quibus (scilicet Hiberniæ Monachis) ad has nostras Gallicanas partes, S. Columbanus ascendens, Lexoviense construxit monasterium, factum ibi in gentem magnam."

49. CAMBRENSIS *de variis KildariæM iraculis.*

"Ineffabilis Providentia Dei ; inter alia hæc leguntur. Idem sanctus imo Dominus ob ipsius merita gloriosa, septem mortuos quorum unus triduanus erat, mirificè suscitavit."

JOCELINUS, *in Vita S. Patricii*, Cap. 17, et Cap. 18.

51. " Subiit ergo (S. Patricius) in montem excelsum *Cruachan-aigle* (*hodie Cumulus S. Patricii*) vocatum in Conacia *constitutum.* In hujus igitur montis cacumine jejunare ac vigilare consuescunt plurimi; opinantes se postea nunquam intraturos portas inferni, quia hoc impetratum a Domino putant meritis et precibus Sancti Patricii."

CAMBRENSIS, Dist. Cap. 5.

52. " In Australi Momonia, est insula quædam Ecclesiam continens S. Michaelis, antiquæ nimis et authenticæ religionis."

IDEM *de lecto S. Kaini.*

53. " Cui Sancto compatiente et orationem ad Dominum fundente, Salix quædam non procul ab Ecclesia poma protulit, tam puero, quam aliis ægrotantibus salutifera, et usque ad hodiernum diem tam salix illa quam aliæ ex eâ circa cæmeterium transplantatæ more pomarii, singulis annis poma producit." " Quatuor principaliores Hiberniæ peregrinationes sunt, Cumulus S. Patricii in Conacia. Ejus Purgatorium in Ultoniâ. Petra S. Michaelis in Momonia, et lectus S. Kaini in Lagenia."

CHASSAN. *in Catalog. gloriæ Mundi.* Part. 12. Consid. 57.

" Hibernia, inquit, gentes habet bello aptissimos, qui pulchro sunt corpore, elato, membrisque robus-

tissimis, ac colore candido. Equosque parit, qui a naturâ sagacissimo incessu, et quadam modulatione, veluti more regio, deambulare videntur. Equas habet vectorias; præcipuâ bonitate, quas Ubinos vocant, celeriores Anglicis, quas gradarios dicimus."

Vide sequentem descriptionem, apud HADRIANUM JUNIUM.

55. "Illa ego sum Graiis olim glacialis Ierne,
Dicta et Jasoniæ puppis bene cognita nautis;
Quæ Tarthesiaco propior se tingere soles
Flumine conspicio, cauro subjecta procaci;
Cui Deus et melior rerum nascentium origo,
Jus commune dedit cum Creta altrice Tonantis
Noxia ne nostris diffundant sibila in oris
Terrificæ creti tabo Phorcynidos angues;
Et fortè illati, compressis faucibus atris,
Viroso pariter vitam cum sanguine ponant.
En ego cum regni sceptro, mavortia bello,
Pectora et horriferas hominum, nil fingo, figuras.
Qui cursu alipedes nôrunt prævertere cervos,
Dedico, piscososque lacus, volucrumque paludes.
Omnigenum lustris fetas, stannique fodinas
Et puri argenti venas, quas terra, refossis
Visceribus, manes imos visura recludit."

Ubi præter alia notandum: Hibernorum nomen tum cognitum fuisse, cum Argonautæ, Jasone duce, expeditionem in Colchos adornaverint. Quam antiquitatem, teste doctissimo Usserio, nè quidem ipse Populus Romanus omnium gentium dominus jactare

potest. Ut non immeritò hæc Insula *Ogygia,* id est, perantiqua Plutarcho dicta sit. A profundissimâ enim, inquit CAMDENUS, antiquitatis memoriâ, historias auspicantur Hiberni, adeo ut, præ illis, omnis omnium gentium antiquitas sit novitas, et quodammodo infantia. Taceo litteras Hibernicas (de quibus suo loco) non a Romanis aut aliis gentibus mutuatas, sed a *Fenisio* aut *Fenio* primo earum inventore acceptas, longè antequam de Romanorum nomine in orbe cogitaretur. Siquidem *Fenisius* cognominatus *Farsaidh,* Japheti ex Magog filio pronepos (de quo fusiùs in sequentibus) unde facile est colligere, illum fuisse unum e principibus qui in linguarum distractione familiis præerant: et linguam posterisque ejus concessam, litteris consignâsse. Accedit; Quòd Hæbero, Hæbraicæ linguæ conservatore, coævus fuerit; ut ex eo liquet, quòd Noemus utriusque fuerit abavus.

Vide FLAHERT. p. 63. *Ogygiæ Exteræ.*

"Quandoquidem mentio facta est de fluminibus Hiberniæ, supra num. 4, de his aliqua adjiciendum duxi: ac primò de vetustis sic invenitur apud FLAHERT."

Fordremanus, Finloch, Lochlorgan, stagna vetusta
Quos quàm culta priùs, fudit *Ierna lacus.*
Bonna, Sligo, Bofus, Fin, Liffæus, Erna, Modornus,
Berva, Lius Muadus, flumina prisca decem.

De Liffæo autem sic alibi loquitur Neachus poeta antiquus.

"Visere *Castlenoc* non dedignatur *Avenliff*,
Istum *Dublini* suscipit unda maris."

Celebres adhuc sunt fluvii, *Boan* et *Surius* quorum hic ad *Waterfordiam*, ille ad pontivadum vulgò *Drohedam*, se mari commiscet, teste jam citato Neacho.

"Ecce *Boan* qui Trim celer influit illius undas,
Subdere se falsis *Droheda* cernit aquis.
Surius insignem gaudet ditare *Waterford;*
Æquoreis illic associatur aquis."

Sed hodiè fluviorum in Hibernia rex est *Sineus* de quo seqq. versus.

"Fluminibus magnis lætatur Hibernia; *Sineus*
Inter Conaciam Momoniamque fluens.
Transit per muros Limerici, Knock-patric illum
Oceani clausum sub ditione tenet."

Fluvius hic totius Hiberniæ nobilissimus, ab ortu ferè ipsius in Comitatu Letrimensi, ditione principis O'Rourke, ubique fere navigabilis, mediam Hiberniam secans, modò in lacus se dilatat, modò in angustias se contrahit, donec post Limericum, oceano se immiscet. Ad *Athloniam O'Kelliorum* Baroniæ primarium oppidum, et olim Principis familiæ sedem, magnifico ponte e vivo saxo sternitur ad quem locum ob ejus situm in regni centro, variasque ejus commoditates, Pro-regis Hiberniæ sedem transferre voluit Regina Elizbetha; plures alios minoris notæ, sed magnæ utilitatis fluvios, brevitatis causa, prætermitto, de quibus vide Lombard. cap. 7. *Comment. Hibern.*

Finem nunc huic priori sectioni facerem, nisi duæ sequentes Elegiæ ad propositum, materiam tantam haberent relationem, ut sine piaculo omitti non possint. Prima Elegia incerti auctoris (nisi quòd se scribat veredicum Erigenam) Crumvelli usurpatoris in Hibernos sævientis, tempore, composita videtur; exactam namque relationem continet calamitatum atque miseriarum, quibus tunc Hiberni mirum in modum subjiciebantur. Secunda verò Elegia post pacem Riscivensem non sine magno animi dolore, et fusis lacrymis a me composita, et Catholicis Europæ principibus, destinata; quòd in eâ pace gentem nostram præteritam viderem : et eam gentem quæ Orthodoxæ religionis (quam ante annos mille ducentos et amplius, Patricio Apostolo, amplexa est) perpetuò, tenacissima, non obstante, quòd centum et amplius annis indesinenti gravissimarum persecutionum turbine agitaretur, regibus suis semper fidelissima de exteris etiam principibus, et Rom. Ecclesiâ optimè merita. O aspera afflictæ gentis fata! Nisi solatio nobis esset, quod Deus ipse in Evangelio docet. " *Quem diligo, castigo ;* Domine, hìc ure, hìc seca, modò in æternum parcas.

ELEGIA

MISERUM HIBERNIÆ, STATUM SUB CROMVELLO CONTINENS.

Inspice fortunæ titubantis fœdus inane,
  Quæque Hibernigenas sidera dira premunt.
Insula Divorum quondam notissima nutrix,
  Romanæ cultrix sedis Apostolicæ.
Gentibus innumeris veraci lumine lumen,
  Præconum vitâ, moribus, ore, nece.
Fluminibus, sylvis, speciosis portubus, arvis,
  Æquoris et fælix fertilitate soli.
Frigoribus gelidi pressis Aquilonis et aura,
  Temperie rarâ cuncta elementa favent.
Desolata gemit fidei præconibus orba,
  Præsulibus scissis, ense, vel exilio.
Plectitur innocuus, populo plangente, sacerdos,
  Plectitur et populus, qui miseratus erat.
Ordinibus sacris servili more latronum
  Vita insons rapitur fune, vel ense, fame.
Insontes cives, vinctus cum plebe senatus,
  Prostant venales fœmina, virque, puer.
Nobilitas collisa jugo, vel plexa securi,
  E patriâ pulsa, aut carcere clausa perit.
His geminat gemitus gravibus concussa ruinis
  Et salsi fletus lumina stilla coquit.
Possessis ejecta patrum bis mille per annos,

Sedibus, et partis Marte, vel arte bonis.
Gens inimica sacris, *Hibernas* destruit aras,
Technis, Orcicolûm dogmate, cæde, foco.
Ipsa stupet tellus propriis viduata colonis;
Castra, urbes, portus, subdolus hostis habet.
Finibus e propriis agri cultoribus actis,
Tuta sibi vulpes, lustrat et arva lupus.
Expelli cædique videt cum prole maritum
Uxor et hos vendi ut mancipiale pecus.
Littore deplorans arcetur militis hastâ,
Ne dicat tremulâ voce, marite, vale.
Littus in Indicôlum, vernanti flore juventam
Captivam, lucri spe, ferus hostis agit.
Viribus imbelles pueri, cum matre puellæ,
Rure siti expirant, frigore, peste, fame.
Infans enectæ sugens flens ubera matris,
Mox nullo extinctus subveniente jacet.
Corpora nuda patent, hostis neglecta timore
Facta feris, canibus, præda voranda lupis.
Excussis tenebris divini flaminis igne,
Quos Superûm solis lumen *Ierna* docet?
Hæresis ense fodi miserandæ viscera matris
Despecto spectant prorsus honore crucis.
Talibus incerti meritis, quod fata reservant,
Quæ mundi fallax alea lucra feret.
Nonne laboranti cernunt occurrere matri,
Qui duce naturâ vix coluêre Deum?
Prudentes patitur Divina potentia sæcli,
Fortunæ volvi lubricitate rotæ.
Mars fremit, et laxans damnoso fræna furori,
Europæ furiis quassat utrumque latus.
Fulmine toxifero regnorum extinguere nomen

Urget et e terris tollere dogma patrum.
Turca videt, ridet; plaudit Calvinus et optat
Regibus exitium, perniciemque fore.
Principibus, fidis patrum cultoribus, omen
Pæsulibusque pari conditione vovet.
Viribus humanis fulget vix ulla salutis
Spes; genti afflictæ porrige, Christe, manum.
Protinus e medio tolli, propriique perire
Sanguinis et mortis ne patiare librum.
Hæc cœlum, tellus, hæc audiat arbiter æquus,
Cujus in aspectu machina trina tremit.
Cujus et arbitrio Dominantûm tota potestas
Stat, cadit, his varias, qui sinit esse vices.
Christicolûm fidei custos, judexque sub astris,
Qui refoves regis cuncta creantis oves.
Pastor ovile vides extingui fraude luporum;
Agnos accelera; devorat ore lupus.
Res agitur regum, paries jam proximus arsit,
Dissipet unde pares quisque Monarcha focos.
Qui regis æternæ Divos dulcore quietis,
Et frenas hominum corda potente manu.
Qui populis præsunt, servent fac jura salutis,
Omni teque Deum, lege monente, colant.
Nubibus Hæreseon sparsis, prorsusque venenis
Extinctis, pacem liber ut orbis amet.
Depositis odiis, omni Mars exulet orâ,
Humanæque, febris, mentis, avaritia.
Ut reges regnent sceptris concordibus, unus,
Unum unâ ut pastor, pascat ovile fide.

Plura negat calamus lassus, ruptusque dolore
Pleniùs, at veniens, dicere sperat, opus.

ELEGIA

SEU HIBERNIÆ, IN PACE RUSWICENSI, PRÆTERITÆ, ULTIMUM SUSPIRIUM, AD CATHOLICOS EUROPÆ PRINCIPES.

Plaudit, io! lacrymas inter, tibi, Cæsar, et omni
Successu, moriens gaudet Ierna tuo.
Fracta malis, exuta bonis, mens sola relicta est,
Immemor Austriacæ quæ nequit esse domûs.
Scilicet Austriacis debetur Iberia jure,
Gentis et Hesperiæ filia dicor ego.
Adde quod et vultu me prospexêre benigno,
Te velut auroræ præ-quot-iêre patres.
Ergo meas audi, Majorum more querelas,
Et videas casus, O Leopolde, meos.
Filia *Romanæ* sedis, tot sæcula puram,
Servavi, mediis hostibus, usque fidem.
Hanc, Henrice, mihi, nec filia pejor Elisa,
Nec poteras, Crumwel, tollere sæve mihi.
Sint quamvis bona rapta mihi crudelitèr armis,
Permansi constans, permaneoque fide.
Hoc solamen erit, causâ *Regisque Deique,*
Occubuit fato tristis *Ierna* suo.
Hei mihi, quid feci, nisi quòd constanter adhæsi,
Legitimo regi, legitimoque Petro.

Insula Sanctorum fueram quæ dicta vetustis,
Pastore amoto, sum modò præda lupo.
Christi eversa domus; sacris Mysta exulat aris,
Quæ modò privantur thuris honore sacri.
Hæretici sacrâ Christi dominantur in æde,
In fædam versa est ara fidelis haram.
Hæresis invaluit, rapiuntur ab ubere nati,
Nec datur antiquam suggere lacte fidem.
Nunc et opes, studiunque, et linguæ tollitur usus,
Quid mihi jam, præter nomen inane, manet?
Cæduntur, *Lauri*, pax est ex fraude, myricis,
Quid plebs, amotâ Nobilitate, potest?
Huc illucque errat, tristi mea corde juventus;
Coguntur que senes, penè, dolore mori.
Est virtus vitium, pietas est denique crimen,
Et tu nunc dubitas, tristis *Ierna* mori?
O Deus! O miseræ cur fata moraris Iernæ?
Cur me tam lentâ morte perire sinis?
Cur me non sorbet patefacta voragine tellus?
Cur non irati me tegit unda maris?
Me cur indignam dignaris lumine, Tytan?
Cur non in priscum me sinis ire Chaos?
Quàm priùs ejectos vidissem sede colonos
Quos annis fovi mille ter ipsa sinu.
Nunc peregrè, sine re, sine spe, sine lege vagantur
Ulla nec ejectos terra vel unda capit.
O chari! O nati! morientis pignora matris;
Ulla ne vos animo deleat hora meo?
Sic vos decepit? vos spe lactavit inani,
Gallus? amicitias utilitate facit.
Sic vestrî pater oblitus sanctissimus orbis?

Sic vestrî oblitus, Cæsar, Iberque fuit?
Præteriti demum *Riswicâ* in pace fuistis,
Servatæ hoc pretium relligionis erat?
Deseruêre patres natam in discrimine mortis;
Interitu, rides, Hæresis atra, meo.
Prisca fides nulli, nulli relligio curæ est;
Et tu nunc dubitas tristis Ierna mori?
Nobilibus solis fuit O communis Ibernis,
O nunc quisque gerit, quale sed? O miserum.
O miserum se quisque vocet, nec nomen Ibero
Amplius a fluvio jactet Ierna suum.
Unde ergo quæris? desumat nomen ab *Iro*,
Irus enim nunc est, quisquis Iernus erat.
Posteritas audi; scelus exhorresce nefandum;
Victima subjectis *Rex* modò factus erat.
Rex fuit omissus *Riswica* in pace Jacobus,
Et tu nunc dubitas, tristis Ierna, mori?
Quis credat memores ulcisci crimina Divos,
Si teneat socero debita sceptra gener?
Anglia si pulso gestit furiosa Monarchâ
Insultatque meis, facta superba malis.
Rex Jacobe, lates et ego discrimine in isto,
Victima fortunæ, ludibriumque feror.
Dic mihi quid virtus, nisi vanum nomen et umbra,
Virtutem si jam præmia nulla manent.
Gaudetis *Lothari*, vestro duce pace reverso,
Sola ego *Riswicâ* pace relicta queror.
Principe *Wilhelmo* nunc gaudet *Orangia* magno,
Sola ego *Riswica* pace relicta queror.
Oblitinè mei proceres in pace fuerunt!
Sic nullum movit relligionis amor!

Catholicam gentem *Romanæ* sedis alumnos,
An non me solam præteriisse pudet.
O pudor! O cunctis damnanda infamia sæclis,
Hoc reor ultores crimen habere Deos.
Roma vale, vale *Papa*, cadit tua filia virgo,
Galle (sed O possint) *Cæsar*, *Iberque* vale.
Vivere si meritis *Sanctorum*, possit *Ierna*
Staret adhuc; Sanctos tot dedit illa viros.
Vivere si manibus pugnantûm possit *Ierna*,
Staret adhuc; claros Marte dat illa viros.
Quorum (si taceam Majorum gesta) moderna
Facta, *Angli*, *Galli*, Cæsar, *Iberque* sciunt.
Concessum satis est fatis; mea longa fuisti
Vita Anglis; laudi, credo, sat ipsa tuæ.
Ex animo morior causâ Regisque Deique,
Non poteram fato nobiliore mori.
Vos tamen Ecclesiæ proceres, filiique per orbem,
Dispersis natis auxilio este meis.
Omnibus externis terris et fluctibus errant,
Sola illis clausa est terra paterna, dolor!
Deficiant reliqui quamvis, sanctissime mundi,
Gentis *Ierneæ*, tu memor esto, *pater*.
Esto memor, pariter vestrorum Hispane, nepotum,
Promissam serva nunc, *Lodoice*, fidem.
Vos *Belgæ*, *Venetique* graves, proceresque *Latini*,
Este patres natis auxiliando meis.
Non ignara mali miseris succurrere discas,
Bœmia, nam quod eras hoc ego sum moriens.
Sed te, præ reliquis, precor, *Augustissime Cæsar*,
Majorum nobis more favere velis.
Si quid in Imperio nostri meruêre priores,
Servando *Austriacam* voce manuqe domum.

Te videant patrum memores, Leopolde, nepotes,
　In te uno agnoscant quos coluêre patres.
Nostri Majores, omnes habuêre patronos
　Quos genuit patres Austria grata tuos.
Teque magis, *Leopolde*, suum sensêre patronum,
　Hactenus auxilium qui petiêre tuum.
More igitur solito perge, *Augustissime Cæsar*,
　Cura Dei, magnique orbis et urbis amor.
Patrono virtus, *tutore* Ecclesia, *patre*
　Te gaudent inopes, *Cæsare* Roma, fave.

Elegia hæc vix lucem primùm viderat, vix Europa pacis munera degustavit et ecce subitò rerum facies mutata, totusque orbis attonitus contremiscit, ac ipsa rerum natura commutata, antipathiâ in sympathiam conversâ. Cum per mortem Catholici Regis Caroli II., Hispaniarum et Indiarum monarchæ, *Gallico* astu et iniquis *Cardinalis Portocarero* persautionibus contra omnia jura et pacta juramento confirmata, *Dux Andegavensis* Monarchiæ Hispanicæ declaratur hæres. Quod cum ego vidissem et attentiùs considerâssem regum fata regnorumque periodos, inevitabili Divinæ providentiæ fato volvi regique, nihilque sub sole stabile remanere, animum ab afflictæ patriæ meæ calamitatibus, paulisper abstrahens, in hoc fortè Ovidii carmen incidi,

"Omnia jam fient fieri quæ posse negabam."

Occasione cujus sequentem *Elegiam* attonitus effudi, et imprimendam dedi, quam bonâ tuâ veniâ, Lector benevole, huc transtuli, additis ad finem quibusdam de Cardinali Portocarero, harum omnium perturbationum causa occasionali.

ELEGIA

OCCASIONE SUCCESSIONIS HISPANICÆ.

"Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam."
Quisquis es obstupeas, *Gallus Iberus* erit.
Bœtis Arar, Rhodanusque Tagus, Durusque Garumna
Fiet; Anas Ligeris, Sequana Iberus erit;
Et mutat natura vices, contraria cum sint
Unum, quod fieri posse sophia negat.
Fit gravitas levitas, Hispanica Gallica, spada
Longior Hispanicus, Gallicus ensis erit.
Jam nunquam vatum videt ætas nostra priorum,
Unda ferat flammas, et ferat ignis aquas.
In caput alta suum labantur ab æquore retro
Flumina, conversis Solque recurrat equis.
Terra ferat stellas, cœlum findatur aratro,
Nunc, quidquid fieri Naso* negavit, erit.
Plus et ahhuc: *Aquilæ* nunc *Gallus* pugnat et omnes
Pro rapto volucres bella Leone gerunt. 16
Nempe Leo moriens Europæ mala reliquit
Punica, quæ plusquam punica bella creant.

---

* A sirname of Ovid.

Punicum et in sese quot claudit semina malum,
  Tot secum hæc portant semina bella mali.
Hinc illincque parant sese duo fulmina belli,
  Ambo duo magni maxima bella gerent.
Gibbosæque tremunt, motis radicibus *Alpes*,
  Et vix *Hollandos* æquoris unda tegit.
Lilia si rostro laceret Jovis *Armiger ales*
  Gallica sanguineo *Lilia* rore fluent.
Sed vigil est *Gallus*, noctu canit, ante volucres,
  Quàm reliquæ surgant, *Gallus* ad arma canit.
Gallus ad arma canit, ciet in sera prælia mundum
  Obvius huic nî mox *Cæsaris* ales eat.
Ensibus ergo datum strictis componere lites
  Regnaque crudelis præmia Martis erunt.
Hoc regum studium, cura illa potissima regum,
  Nec se majores, nec tolerare pares.
O vanum studium! curas O semper inanes!
  An non mortales *mors* facit una pares.
Vix armis positis *Europa* quieverat, et jam
  Sentiet *Hispanas* ultima terra manus.
Parcite bella sequi; proh, reges, parcite bello!
  Pace datâ, veniet regibus inde decus.
Vos propter coeunt acies, cæcoque furore
  Alter in alterius præparat arma, necem.
Christiadumque acies, et regna minantia regnis
  Irritant justos in sua damna Deos.
Ah! quoties nostris crescunt ex ossibus herbæ
  Ah! quoties nostrâ cæde madebit humus?
Tingere quas possint inimico sanguine, lauros
  Christicolæ faciunt cæde rubere suâ.

O Solyma!* O tellus pedibus calcata Tonantis!
An Regum, qui te vindicet, ullus erit?
Conveniant volucres, *Papa* hoc implorat et orat,
Totius hinc meritò quem regit orbis amor.
Turcæ, Arabes, sævique Getæ, durique Judæi,
Sufficiens vestri causa furoris erunt.
In Turcas Cæsar, bellum Ladoicus in Afros
Vertat ut agnoscat mundus uterque Deum.
Occiduas, Lodoice, plagas conscribere Christo,
Perge, *Deo*—que-*datus* sic tibi nomen erit.
Quasque serit, Lodoice, metes Phœnicia palmas,
Ibit et in cultus Barbara terra tuos.
Hæc ut in Occiduis fuerint, Oriente subacto,
Efficient pavidos *Cæsaris* arma Getas.
Europamque Asiæ jungent, et Seston Abydo;
Roma triumphabit, Cæsiris aucta manu.
Sic caput orbis eris, sic Divus habebêre Cæsar,
Sic tibi, sic per te redditus orbis erit.
O mihi fata darent ea cernere tempora! vates
Cæsaris et regis, *Kelly* fuisse ferar.
Audior ah nulli! crevêre incendia belli;
Non homines audis, nec, *Lodoice*, Deos.
Magna tua ambitio; tuus insatiabilis ardor,
Europæ nullo scandere jure thronum.
Non ita, Dii faveant, rex ambitione, Rodolphi est,
Firmata *Austradûm* nam pietate domus.
Regna alii quærant armisque dolisque Monarchæ,
A justo *Austriacis* sunt data regna Deo.
Regna quis *Austriacis* dubitet mansura? manebunt

* Jerusalem, the capital of Judea.

Ejus qui dederat, cura Tonantis erunt.
Est Deus; est magno pro Cæsare, Cæsar et ipse
Tam justus; Deus hinc hostibus hostis erit.
Austriadum Trias ergo vale, rege, vive, triumpha,
Austriaca non est major in orbe Domus.
Quid genus *Austriadum?* genus est fatale regendis,
Terrarum imperiis, ut regit astra Deus.
Motibus Europæ magnis, bellisque cruentis;
Tot pandit portam Portocarero malis.
Ut portus omnes turbâsti, Portocarero,
Fælici portu, Portocarero care.
Jure suo *Austriacos* dum privas Portocarero,
Te facis exosum, Portocarero, Deo.
Si tali Ecclesiæ vertantur cardine *portæ*,
Inferni portas prævaluisse reor.

HIBERNIA DESCRIPTA.

Tot occurrunt tam in præcedentibus poematibus, quàm maximè in sequenti poemate Chronologico, peregrina nomina, at ab exteris saltem Lectoribus (quibus in hoc opere potissimùm me accomodo) intelligi nequeant ; nisi adjectis commentariis, at specialibus dissertationibus. Quamobrem, ad faciliorem omnium intelligentiam duos inserere duxi : quorum 1. agitur, de diversis Hiberniæ nominibus, ac præsertim de nomine Scotiæ. 2. Verò de variis Hiberniæ incolis. Unde sit

PARAGRAPHUS I.

De diversis Hiberniæ Nominibus, ac præsertim de Nomine Scotiæ.

Insula hæc omnium insularum Oceani, post Magnam Britanniam in Europâ, et Tabrobanam in India, celeberrima, pro coloniarum diversitate, diversas sortita est appellationes, quas referunt P. Bruodinus et D. Flahertius.

1. Ergo dicitur Insula nemorosa aut sylvestris (hibernicè Inis nà cailteach) quòd *Adenus* quidam, ut referunt, centesimo circiter post diluvium anno, a Nino Beli filio, ad explorandam Insulam, e Scy-

thiâ missus, eam sylvis obsitam, totamque umbriferam invenerit.

2. Dicitur *terra finalis*, (vernaculè crioch nà fuincadhac) quòd Hibernia veteris orbis ultimus ad occidentem terminus sit. Hinc opinatur *Bochartus*, Hiberniæ nomen esse derivatum a Phœnica voce *Ibernae*, quæ vertitur *ultima habitatio*, quia ultra Hiberniam ad Occasum, præter vastum mare, nihil veteres noverunt : atque etiam colligi potest, *Hiberniam* Phœnicibus in oras ultimas navigantibus, non fuisse incognitam : aliter deducit Cormacus Episcopus et Rex Momoniæ ex Græco *hiberoe*, occasu, et *nyaon*, insula, quàm insula occidentalis.

3. M. *Elgnata Partholani* uxore *Iniselga*, seu insula nobilis dicta est.

4. *Ere* vel *Eria* ab hujus nominis reginâ, et de facto ab indigenis sic dici solet. Longè ergo aberrant, qui *Ere* occasum vertunt ; nam toto cœlo differunt *Ere* reginæ nomen, et *hiar* occasus ut notat Flahertius in Ogygia Insula.

5. *Fodla*, etiam a Reginæ nomine sic dicta.

6. *Banba*, similiter, a Reginæ nomine. Porrò, harum trium Reginarum Reges ex *Tuthadedannarum* vel Danannarum gente (de quibus postea) alternis in Hibernia regnabant annis. Nec magis errant peregrini interpretes in voce *ere*, quàm in voce *Banba*, dum *beatum* vertunt. Vide mox laudatum *Flahert.* qui optimè cum Plinio notat *vernacula* nomina, non a peregrinis, sed ab ipsius linguæ peritis addiscenda esse. Sic *Scotus* noster, a Scriptoribus *Erigena* dicitur, ut Hibernus quilibet ab *Ere* *Erigena*, dici possit. Idem tamen Auctor adhuc

Eriam Ægypto priùs nomen fuisse, sicut ut Cretæ insulæ, notat ; cui et illud Hiberniæ donum de venenosis animalibus ejiciendis commune, ut ipsa testatur *Hibernia* de se loquens apud *Hadrianum Junium*, versibus allatis supra, pag. 51.

7. Dicitur Insula fatalis, vulgò *Inisfail* a *Dannanarum* fatali saxo, quod diu in Hibernia asservatum, et in Anglia in Coronationis throno inclusum est. Sed mirabilem hujus fatalis lapidis historiam alibi referemus.

8. Muchnesia a Milerianis (cujus etymologiam non assequor) dum adhuc in conspectu essent, vocata est, ut fecerunt Æneæ socii in conspectu Italiæ, ex Virgilio.

" Italiam, Italiam, primus conclamat Achates."

9. Dicitur *Scotia*, quod nomen ob specialem, quam patitur controversiam ad finem hujus Capitis ad longum discutiemus.

10. Vocatur *Ibernia*, ab Ibero flumine Hispaniæ, circa quem Majores nostri diu commorati sunt ; hoc nomen hodie commune est, et familiare fuit olim *Cæsari*, *Plinio*, *Solino*, *Tacito*, *Orosio*, &c. Sed præ Librariorum incuriâ dimanâsse arbitror sequentia nomina ; ut, *Overnia*, *Vernia*, *Bernia*, *Hiberione*, *Hiberia*, *Iberia*, et *Hybernia*, sicut Juverna Juvenali dicta

——————— " Arma quid ultra
Littora Juvernæ promovimus ?"

Item *Ierne* Claudiano

Scotorum flevit cumulos glacialis Ierne.

11. Germanis, Anglis, Batavis et aliis Irlandia

per barbarismum, ab Hibernicâ voce *Ir* vel *Hiar* (quam occasum significare perperàm putant) et Anglicâ voce *land*, quæ terram significat. *Nostrates* quidem *Irlandiam* dictam putant ab *Hir*, Milesii filio et voce *land*, quasi terra Hiri.

12. Plutarchus *in libro de facie in orbe Lunæ* eam appellat *Ogygiam*, seu perantiquam; quod nomen, ut et *Eriam* cum Ægypto commune habuit Hybernia unde non immeritò quidam conjecturant (quod et constans est apud nos traditio) vetus inter nostros olim et Ægyptios commercium fuisse et affinitatem. Traditionem et conjecturam confirmat quod voces quædam apud nos et Ægyptios idem significent, ut est hæc vox *agus*, quæ Hibernicè et Copticè idem sonat, quod atque Latinè, teste cl. Loftio J. U. Doctore, apud Flahertium, et *Copticæ* ac *Hibernicæ* linguæ admodum perito. Nonnulli tamen negant Plutarchum per Ogygiæ nomen intellexisse *Hiberniam:* eò quòd erret in distantia inter Hiberniam et Britanniam: verùm error iste non facit quo minùs demonstratio. Plutarchi Hiberniæ competat: et Plutarchum eò loci Hiberniam intellexisse non obscurè testatur Camdenus loco suprà citato p. 51. Idem sentit Slatirius Anglicus poeta qui Jacobi I. M. Britanniæ Regis originem ex Hibernia deducens, eam appellat Ogygiam his versibus:

At quoniam arctos Scotico Rex noster ab orbe
Nec minùs occiduis perhibent, Scotus ortus Hibernis
Qui Britonum parent sceptris; mihi pauca recensens
Musa age et Ogygios Iernos reserato colonos.
Insula vergivio circum undique cincta profundo
Quæ fuerat Graiis olim glacialis Ierne.

13. Dicitur Insula Sacra, ex Græco *hieron* quod sacrum est; unde *Iernam*, et *Iernen*, provenire putat D. Flahertius. In hanc rem ita scribit Festus Avienus in libello ex variis Geographis collecto, qui inscribitur, *Oræ Maritimæ.*

Dixêre prisci solibus cursus rati est:
Hæc inter undas multum cespitem jacit,
Eamque latè gens *Hibernorum* colit
Propinqua rursus *Insula Albionum* patet.

Notandum porrò: Hiberniam sacram insulam a veteribus dici, ob beatum soli ingenium, quòd nullum animal venenosum alat aut patiatur.

14. Denique, patrum nostrorum temporibus, Sanctorum insula dicebatur, ob Sanctorum quos produxit multitudinem. Iris adhuc Diodoro Siculo dicitur, unde *Irenses* et *Iri* pro Hibernis. *Iren*, inquit auctor iste Gildæ Badovici, perrexit, ut et aliorum Doctorum sententias in Philosophicis atque divinis litteris investigator curiosis exquireret. Et hæc sunt nomina præcipua, quibus in historiis innotescit Hibernia, quamvis adhuc sub Regum nominibus a patriis poetis aliquando designetur, ut in sequentibus versibus, a D. Flahertio ex Hibernico versis:

Dicta *Tuathalii* domus *Eria*, Regia *Quinti;*
Fedlimii feudum, plaga *Cobthaca*, et *Hugonis* arvum
Arturi regio, vestrum et, *Cormace*, theatrum.

Hactenus strictim de variis Hiberniæ nominibus: ex quibus illud nomen Scotiæ, Antiquarios nostros,

præ reliquis, torquet; tum ratione originis, tum ratione progressûs. Quare operæ pretium duxi de eo hìc specialiter agere. Quò tutiùs ergo per has Antiquitatis spinas, procedamus, post Camdenum, supponendum duxi, populos priusquam regiones, nominibus suis notos fuisse et a populis regiones fuisse denominatas. Hac factâ suppositione Lectorem monitum volo, *Scotorum* nomen priùs genti nostræ adhæsisse quàm in *Hiberniam* se contulissent, aut *Hiberni* vocarentur, ita ut ab *Hibernia Scoti Hiberni:* et vicissim a *Scotia* ab *Hibernia* diceretur *Scotia,* quemadmodùm *Czeeki* denominantur Bohemi a regione Boiorum, quam nunc incolunt. Idem sentit Flahertius in suâ *Ogygia Domestica,* qui ibidem advertit: *Hiberniam* fuisse Insulæ nomen ab exteris inditum, et a nullâ voce vernaculâ derivatum: *Scotiam* verò ex *Scotorum* gente illam occupante et incolente appellatam. Quamvis nostri quidam *Hiberniam* frustra derivatam vellent ab *Hibero fionn* ut ostendit *Lugadius O'Cleri* contra *Bruodinum* apud *Flahertium* his versibus:

Cui minimè imperium, non debet *Hibernia* nomen
  Tota quod antiquis lingua Latina dedit.
Scilicet *Hyberno* demissum tempore nomen,
  Cui multum in *Banba* frigoris ansa fuit,
Codicibus potius patriis inquirito causam
  Quos aliam duplicem commemorare liquet,
Nempe quod Hesperio generetur *Hibernia Ibero*
  Flumine, Golamidûm prodiit unde genus;
Vel qùod ab *Occasu,* Graio cognomine Phœbi,
  Sic sua *Milesiis* Insula dicta foret.

Cum ergo Scoticum nomen genti, seu populo *Hibernico* priusquam Insulæ adhæserit, inquirendum quomodo hoc eis nomen obtigerit? an a *Scota* Pharaonis Ægypti regis filia, ut multi nostrates volunt; an verò a gente Scythicâ ex quâ primùm Hiberni advenerunt? Priusquam mentem meam hac super re aperiam, adverto ex Flahertio nostro in scriptoribus patriis duarum *Scotarum* ex Ægypto *Gaidelæ*, seu *Hibernicæ* gentis genetricicinm. Primam dicunt *Pharaonis indurati* et rubri maris fluctibus obruti filiam et *Gaideli* nostri matrem, quæ Moysem suam in tutelam, suscepit. Alteram verò alii volunt esse filiam Pharonis *Simedis* vel *Silag*, Milesio, Hibernorum Satori nuptam et in Hispaniâ demortuam; alii Pharaonis *Nectonibus* filiam faciunt, dicuntque illam in Hiberniâ, filios suos illuc concomitantem, occisam. Priorem illam Scotam plerique ex majorum nostrorum albo expungunt, inter quos est, sæpe laudatus Flahertius. Alii eam constanter asserunt, ut P. Bruodinus et alii. Secundam Scotam dubiam facit Auctorum discrepantia in Pharaone ejus patre, qui tamen, sive *Nectimnus*, vel *Nectonibus*, sive *Silag*, modò *Salomon* ut dicunt, cæevus fuerit, nihil obstat, quominus hæc secunda Scota, Milesii Hispanici Hibernorum Satoris et notissimi tunc herois uxor esse possit. Verùm, utrâque illâ Scotâ admissâ, ostendit D. Flahert. ex *Ketingo* et *Colgano*, neutram genti sed gentem illis *Scoticum* nomen indidisse: quòd utraque Scotici generis marito uxor extiterit. Prima, *Niulo* Pharaonis *Chencridis*, vel indurati Genero (*Fenisii* Principis ad turrim Babylonicam

filio et *Noemi* adnepoti, primo H
Secunda, Milesio Hispanico P
***Nectimni* Genero.** Flahertio t
multi dissident, ut sunt Caml
auctor vitæ S. Cadroe apud C
vitæ S. Albani his verbis. Ab *Il*
nia vocatur : *Scoti* verò à *Scotâ*
tis, filia *Regis Ægypti.* Iden
vitæ S. Patricii apud Colganum
prædicabat *Scotis,* id est Hibern
filia Pharaonis Regis Ægypti nc
dit mox laudatus auctor vitæ S
de Ægypto ipsa venit ad Hibern
omittimus : quia invenitur de i
rant ; quomodo in primis temp
Hibernia. Idem quoque sentit
murius Fathaniensis, qui in hun
cecinit :

> Unde *Gadelorum* referatur
> A *fenio fenios* dictos, *Gailo*
> A *Scoto Scotos* res est mani

Verum his et aliis similibus f
hertius, dicendo, ut ante, Scota
quod *Scotici* generis marito enup
quod antea sic vocaretur. Huc i
noster, qui in notis ad vitam S.
optimè nostri passim Historia tra
***Scotam,* Pharaonis filiam** *Schytam*
à suis prius appellatam fuisse, q
marito præter patriæ consuetudi
et postea cognomento nonnihil d

masius repetens

ti, Rex Herimon
quam se devover
solium septima v
esses de semine *Æ*
mmo jura dat æq
ri fratres e stirpe
: complêrunt lus

uitur prognatus *Ac*
n regni quinque de
masii pronepos *Lab*
Fiachus sex quate
eriades septem ter
umoniæ dicitur und
Eneas Herimonius (i
nostra) sedit messibu
ernas e stirpe report
n spatio quippe ter
n undenas potitur *R*

d *Æneæ* Regis hono
næus stirpem revocâ
simul binis messibu
c vitam malè gratus a
chus brumis quatuor
ibernigenûm Munem
nos,
post quinque, neci pes
dergodius Munemonis

9. Ter tribus Autumnis regna paterna tenet.
3236. Clara quater denis stirps *Ollamfodlaus Hiri*
14. Messibus ad clavum sistit *Ierna*, tuum.
3276. Filius insequitur pestis *Finnacta*, veneno
20. Consumptus, residens lustra quaterna throno.
3296. *Finnactæ* frater cadit absque dolore *Slanollus*,
17. Septenis regnans, messibus, atque decem.
3313. *Gedius*, ablatis suffectus fratribus hæres,
12. Quinque regit brumis, quatuor atque tribus.
3325. Occisum *Fiachus* patruum diademate privans,
8. Arbitrio populos messibus octo regit.
3333. *Berngalus* ulciscens patruelis funere patrem,
Tres quater æstates civibus usque præest.
3345. Sufficitur cæsi solio patruelis *Olillus*
15. Æstates regnans quinque ter ante necem.
3360. Restituit stirpi fasces *Herimonis Hibernos*
21. Sirna senex. Annis rex tribus, octo decem.
Primo anno *Sirnæ Solymæ** Babylonius arces
Vastat, et in cineres dat Salomonis opes.
3381. Fulmine progenies ictus *Rotheactus Heberi*
7. Septem annos populos frenat *Hibernigenûm*.
3388. Tum patris *Elimius* successor regius annum,
1. Possidet omne suâ sub ditione solum.
3389. Ter tribus Autumnis regni moderatur habenas
Gillchadius, *Sirnam* qui sibi fecit avum.
3398. *Elimio* genitus *Juvernam* temperat annis

* Excidium Hierosolimitanum.

Quatuor *Arturus*, quinque tribusque simul.
3410. *Finnfalius* tredecim *Nuadus* compleverat annos,
13. *Gilchadii* genitus sanguine regis erat.
3423. Regius *Arturi* natus diadema *Breasus*
9. Induit: Autumnis sex tenuitque tribus.
3432. Optachus hinc *Fodlæ* dominatur *Achaius Ithi*
1. Progenies ternis mensibus atque novem.
3433. Bina per Ogygios regali decennia campos,
20. Finnius ex Hiri semine munus obit.
3453. Regia *Sedneus*, soboles præclara Breasi
14. Sceptra tenet messes quatuor atque decem.
3467. Cui *Breaco* cognomen erat, sex jugiter annis,
6. Regna *Simon Nuadi* tractat avita nepos.
3473. Candida *Sednæi* soboles octenne *Duachus*,
8. Transigit in solio tempus, *Ierna*, tuo.
3481. Præfuit *Erigenis* annum non amplius unum
1. Principe *Muredachus Bolgra Simone* satus.
3482. Quinque annis proles regit *Ennius* alma *Duachi*
5. Donec Heberiadum sustulit atra lues.
3487. *Lugadium* totidem quinis æstatibus *Herdon*
5. Extincto proceres substituêre patri.
3492. Sanguine *Longimanus* prognatus *Sirlamus Hiri*
16. Octo bis Erigenûm messibus arva tenet,
3508. Semine progenitus, *Navalis, Achaius, Heberi*
12. Regnavit brumis rex tribus, atque novem.
3520. Quinque annos fratres et Achaius atque Conangus,
5. Muredachi regnant, regis uterque nepos.

3525. *Lugadius* quatuor detrusit utrumque per annos
4. *Rubrimanus*, lumbis cretus, *Hebere*, tuis.
3529. *Rubrimani* redimit fraternam cæde *Conangus*
7. Atque iterum brumas quinque, duasque sedet.
3536. Hinc subit *Arturus* de semine natus *Heberi*,
Temoriæ senis messibus arce potens.
3542. Quinque Domo genitus Regnator *Olillus* eâdem
9. Candidus, autumnis, bisque duobus erat.
3515. Filius huic septem suffectus *Achaius* annos
7. Quà maris *Ogygiam* circuit, unda regit.
3551. Hiriadum princeps Argetmarus exul Jernam
10. Autumnos repetens quinque bis usque tenet.
3568. *Ladgraus* Imperium quinquennia bina *Duachus*
10. *Muredachi* regis vindicat ense nepos.
3578. Semine *Lugadius* cretus *Vitulinus Heberi*
4. In bello regnum post quadrienne cadit.
3582. Hiriadis orti patruis septem ter *Aidus*.
21. *Dithorbusque* annos, *Kimbaithusque* sedent.
Kimbaithus primo Maio moderaminis urbem
Regibus *Emaniam* condidit Ultoniæ.
Annis sexcentis post sexaginta duosque
Ex quo Scotorum cessit *Ierna* jugo.
3603. Macha patrem, patris et patruelis excipit ambos,
7. Septem annis regum fœmina sola throno.
3610. Clarus *Heberiadæ* pronepos tribus imperat *Enni*
9. Messibus *Ogygiæ* sexque *Reactus* agris.

3619. Triginta *Hugonius* rex annos transtulit in se
30. Regni *Heremoniades* jura, suumque genus.
Cœpit, *Alexander Darium* quo vicerat anno,
Vergiviumque ultra protulit arma salum.
3649. Rex erat *Hugonii Laogarius* octo bis annos,
16. Lageniæ proceres quo genitore sati.
3665. *Cobthacus Hugonides* fratri suffectus, in aula
17. *Temoriæ* messes octo, novemque sedet.
3682. Trans mare quinque nepos Laogari tresque ter annos
14. *Lauradius* veniens rexit *Inisfaliam*.
3696. *Cobthace*, te genitus bis sex laudabilis annos
12. Rector Hibernigenûm *Melga* potitur agris.
3708. Occupat inde thronum *Magcorbus Heberia* proles
6. Non per sex hyemes vidit *Ierna* parem.
3714. Imperium doctus septenne capescit *Olillo*
7. *Lauradii Æneas* e genitore nepos.
3721. Arbitrio leges dispensat *Hirengleo* senis
6. Messibus, alma tuæ, *Melga*, propago, Domûs.
3727. Septenas *Forcorbus* erat dominatus aristas
7. *Magcorbi* soboles, *Momoniæque* decus.
3734. *Conla*, deinde tuum regnavit, *Hierngleo*, germen,
4. Dum quater annorum circulus usque redit
3738. *Dente-scaber*, patre defuncto, investitur *Olillus*
25. Et tria cum lustris lustra duobus agit.
3763. Instat *Adamarius Fercorbi* filius annos
5. Quinque cui expansis tempora compta comis.
3768. *Dente-scabri* natus successit *Achaius Olilli*:

7. Et sedet *Autumnos*, quinque duosque throno.
3775. *Fergusius Banbæ* duodenos imperat annos,
12. Strenuus *Æneam* qui referebat avum.
3787. *Temoriæ Æneas* hæres et natus *Achaii*
32. Messibus *Erigenas* temperat octo quater.
3819. Quinque *Columnaris*, patruo diadema *Conallus*
5. Vindicat, extincto, messibus, ense suum.
3824. Regna *Niasedamon* septennia cretus *Hebero*
7. Quà mare *Vergivium* littora pulsat, agit.
3831. Filius *Æneæ* patruelis et *Ennius* annos,
10. Sceptra tenet, geminans quinque *Conalle* tuos.
3841. *Fergusii Crimthanus* avi sibi debita nactus
4. Jura, sedet spatium per quadrienne throno.
3845. Ex *Hiro Ultoniæ* rex annos octo bis, unum
17. *Rudricius* (quo gens *Rudriciana*) regit.
Kimbaithi a primo *Rudrici* morientis ad annum,
Sunt bis centeni, sex super undecies.
Conquovari ad mortem hinc centum, quater octo duoque,
Qui, *Christo* genito, præfuit *Ultoniæ*.
Inter *Conquovarum* sunt, *Kimbaithumque* Monarcham,
Quatuor, ut doctis, sæcula lapsa, liquet.
3862. Clara *Nisedamonis* proles *Innatmarus* instat :
3. Tertia cujus erat funere tristis hyems.
3865. *Bressalius Rudrici* Scotorum serta propago
9. Induit, et brumis ter tribus illa gerit.
3874. Hinc *Innatmarides* diadema *Luagnius* annos

15. *Lugadius* gestat quinque simulque decem.
3889. *Bresalii* frater trieterida, *Congalus* unam
3. Mortifera vacuos aspide frænat agros.
3892. *Lugadio* prognatus avo duo, quinque, *Duachus*
7. *Temoriæ* exegit tempora verna throno.
3899. *Rudricii* tum *Factna* nepos quadriennia sena,
24. Fatali fruitus marmore, jura dabat.
3923. *Fedhlocus* hinc superest *Herimonis Achaius* ortus
12. Stirpe quater brumis qui regit arva tribus.
3935. *Temoriæ* extincto successit *Achaius Aremh*
10. Fratri annis denis, fulmine et ictus erat.
3945. Sanguine *Ederscolius* quinos *Heremonius* annos,
Regnat, ubi nullis rana coaxat aquis.
3950. Luna necat *Nuadum Niveum* bis tertia regem,
½. Ex *Heremoniadum* stemmate *Lagenio*.
3950. Regnat *Ederscolides* bis trina decennia, nati,
60. *Conarius* quo cum cœperat* ara Dei.
Conarii octavo post quadraginta *Toparchus*,
Vivere *Conquovarus* desiit *Ultoniæ*.
Viginti undecies, denos quater, octo ter annos,
Ultorum Emania hinc regia prisca stetit.
60. Postquam *Conarius* succensis ædibus arsit,
5. *Eria* quinquennis principe cassa fuit.
65. Messibus octo nepos *Fedlochi* dominatur *Achai*,
8. Quem cute *Lugadius* dupla rubrica notat.
73. *Lageniâ* accitus de stirpe *Herimonis Abraro*

* Æra Christiana incœpit, a quâ deinceps fit numeratio.

filio et *Noemi* adnepoti, primo Hibernorum Satori.) Secunda, Milesio Hispanico Pharaonis *Silag* vel *Nectimni* Genero. Flahertio tamen hac in parte multi dissident, ut sunt Cambrensis, Bruodinus, auctor vitæ S. Cadroe apud Colganum et auctor vitæ S. Albani his verbis. Ab *Ibero flumine* Hibernia vocatur: *Scoti* verò à *Scotâ* matre ejusdem gentis, filia *Regis Ægypti*. Idem habet Scholiastes vitæ S. Patricii apud Colganum. Patricius, inquit, prædicabat *Scotis*, id est Hibernis, qui *Scoti* à *Scotâ* filia Pharaonis Regis Ægypti nominantur. Et subdit mox laudatus auctor vitæ S. Albani. Quomodo de Ægypto ipsa venit ad Hiberniam brevitatis causâ omittimus: quia invenitur de illâ in libris, qui narrant; quomodo in primis temporibus habitata est Hibernia. Idem quoque sentit vetustus auctor Melmurius Fathaniensis, qui in hunc sensum Hibernice cecinit:

> Unde *Gadelorum* referatur origo, canamus?
> A *fenio fenios* dictos, *Gailosque Gadelo:*
> A *Scoto Scotos* res est manifesta.

Verum his et aliis similibus facile respondet Flahertius, dicendo, ut ante, Scotam illam sic vocari, quod *Scotici* generis marito enupta fuerit: non vero, quod antea sic vocaretur. Huc inclinat P. Colganus noster, qui in notis ad vitam S. Cadroe hæc habet: optimè nostri passim Historia tradunt *ipsam* nempe *Scotam*, Pharaonis filiam *Schytam* potiùs cognomento à suis prius appellatam fuisse, quia nempe Schytico marito præter patriæ consuetudinem fuisset tradita et postea cognomento nonnihil depravato in nomen

cedente à *Posteris Scotam* vocari. Confirmat Flahertii opinionem non uno in loco eximius D. Ketingus in suâ Regni Hiberniæ manuscriptâ Historiâ, præsertim verò pagina 2. N. g. Scotiam, inquit, filii Milesii nominârunt ex matre suâ *Scotâ* filiâ Pharaonis *Nectonibus*: vel idcirco, quòd ipsi genus *Scoticum* fuerint, è Schytiâ originem trahentes, ut è *Schyta* fiat *Scota*. Et alibi : communis Antiquariorum sententia est, *Gaidelos*, gentem *Scoticam* ideo apellatos, quòd è Schytiâ stemmatis primordia referant. Item alibi de primis Hiberniæ Incolis: unanimi Antiquariorum suffragio, traditur linguam *Scoticam*, quam *Gaidelicam* dicimus, *Nemetiis* vernaculam fuisse: nimirum quod è *Schytia* ubi ea tum *lingua* erat, huc advenerint. Plures adhuc in hanc rem patrios Auctores allegare possem. Quin et exteri plerique Auctores nostram è Schytis originem deducunt: ac inprimis *Propertius*, qui Augusti tempore floruit, huc collimat Lib. IV. Eleg. 3, ubi canit.

"Hibernique Getæ pictoque Britannia curru."
Quo versu innuit Poeta Hibernos origine, *Getas* seu *Schyticæ* populos fuisse. Huc facit, quòd *Gildas* de Excidio Britanniæ an. 564, Hibernicum mare *vallem Schyticam* denominet. Et Nennius Britannus in suâ Historia an. 858. quæ falsò *Gildæ* adscribitur, dicit se accepisse à peritissimis *Scotorum* seu *Hibernorum* quòd Schytæ in quartâ ætate mundi, obtinuerint Hiberniam. Quam ætatem idem *Nennius* inchoat à *Davide* et finit in *Daniele*. Quâ certè ætate filii Milesii ex Hispaniâ in Hiberniam solverunt: quo nimirum tempore *Salomon*, *Davidis* filius templum Altissimo dedicavit, ut omnes nostri refe-

runt *Annales*. Nennio suffragatur Henricus Hundinctonius Hist. Lib. I. item Thomas Walsingamius ex Radolpho à Dieto in *Hypodigmate Neustriæ* sic habet. " A Regione, quæ dicitur *Schytia*, dicitur *Schyta, Schyticus, Scotus Scotia;* quemadmodum à Regione, quæ dicitur *Gothia*, dicitur *Geta, Geticus, Gothicus, Gothus, Gothia*. Imò ut recte notat Flahertius : Schytarum hodie nomen à quibusdam dicitur esse in Scotis reliquum. Et subjungit idem p. 355, hibernicè loquendi formulam *Scotorum* nomen gentile potiùs, et à *Schytis* quam patronymicum à *Scota* ulla majorum nostrorum genetrice demissum, insinuare. Non enim patitur ut *Clanna Scott*, id est *Scotigenas*, quemadmodum *Clanna Mile, Milesios, Clanna Goidhial, Gaidelos;* sed *Scot, Scuit, Scotaibh, Kinnescot, Scoithherla;* hoc est *Scotum, Scotos, Scotis*, genus *Scoticum; Scoticam* linguam. Itaque (pergit Flahertius) Hiberni, ex quo Hiberniam insederant, ex Hiberniæ insulæ nomine appellantur; Scoti vero dudum ante, à primæ originis solo Schytia, audierant. Accedit, quòd pluribus generationibus ante Milesianam coloniam, *Gaideli* progenitoris nostri, (a quo hodie dum Gaideli vernaculè denominamur) pronepos *Hiberus Scot* diceretur.

Quid ex his omnibus evidentiùs concluderet, licet, quàm Hibernos, non ab ulla Scotâ Pharaonis filiâ; sed a Schytica regione, unde primum profecti sunt, Scotos appellari; nomenque a populo, seu habitatoribus in gentem postea derivatum; quod in causa fuit, cur Romani Scriptores Hiberniam deinde Scotiam appellaverint. Nihilominus tamen ad *Sco-*

tici nominis antiquitatem facit, quòd tum temporis innotuerit; quô a Pharaonis filia originem trahere crederetur.

Hæc *Scotici* nominis antiquitas mihi calamum acuit in *modernos Scotos Albionenses*, qui, nescio quâ præcipiti audaciâ, aut effreni licentiâ, contra Scriptorum omnium torrentem, quos citat Flahertius p. 357, nostræ gentis antiquitates, Sanctos, resque a nobis domi militiæque præclarè gestas, ut ante monui, sub *Scotici* nominis larvâ, sibi attribuere non verentur, cum tamen non nisi post undecimum sæculum a Christo nato Scoticum nomen Albaniæ suæ ubique attributum legant; et tunc etiam secundùm quid, seu cum adjectione Minoris *Scotiæ* vel *Scotiæ Britannicæ* per distinctionem ad Hiberniam, insulam mari ambitam, Britanniæ *contiguam*, nequaquam verò continuam (ut est hodie Scotia Albionensis) quæ ab omnibus primùm scriptoribus Scotia simpliciter Scotia insula. Et post, *innotescente* foris *minoris Scotiæ nomine*, Scotia Major dici cœpit: adeo ut, apud veteres omnes scriptores, *Gildam* nempe, *Bedam*, aliosque innumeros Scotus et Hibernus synonimicè sumantur. Quid quòd ipse *Marianus Scotus*, inter primos qui modernam *Scotiam* hoc nomine appellavit: Hiberniam tamen Scotorum insulam unde Albionenses Scoti profecti sunt agnoscere non dubitet: et, ut Camdeni utar verbis: ipsi veri et genuini Scoti hoc Scotorum nomen non agnoscunt: sed alios se *Gaoihel* indigitant, quo ultimo nomine a nobis usque in hodiernum diem appellantur: vel *Gaidelos* seu Hibernos Albaniæ quòd aliud non sint, quàm Hibernica colonia, a Regibus

olim nostris illuc transmissa ut fusiùs ostendemus ubi de Hiberniæ regibus erit sermò. Quin imò sæculo 12. Cambrensis, in Dialogo de sede *Menevensi.* Ostendit Albaniam nunc abusivè *Scotiam* dici et de Excidio Ecclesiæ Cluanensis in Hibernia anno 1042, hæc restant adhuc carmina.

Hæc urbs horrendis hodie vastata ruinis
Quæ prius ante fuit Scotorum nobile culmen.

Sed nec adhuc Scotorum nomen Hiberni adeo exuimus quin Sæculo jam elapso in plerisque Germaniæ locis *Scoti* audiamus, ut ostendit Epitaphium Illustriss. D. Edwardi Geraldini Lageniensis, Hiberni S. R. J. Comitis Hiedelbergæ an. 1626, apud Minoritas sepulti ubi *Scotus* pro Hiberno inscribitur: credentibus nimirum (ut rectè post Wardeum in vitâ *S. Rumoldi*, notat Flahert:) Germanis Epitaphii Sculptoribus, et auctoribus veterem synonimiam hanc *Scotorum* et *Hibernorum* nondum in Germania extinctam. Et sanè meritò, cum hodieque Monasteria *Scotorum* ubique audiant quæ doctiorum Germaniæ Scriptorum auctoritas luculenter asserit esse Hibernorum, sic, ut reliqua taceam exempla Monasterium Benedictinorum Scotorum Ratisbonæ fundavit olim serenissimus Hiberniæ Rex, Bernardus O'Brien, cognominatus Boromeus, pro Hibernis Monachis, vacillantibus domi litterarum studiis, ob Danorum vastationes ; sed Hibernos Monachos, *Scoti Albionenses*, ex gratiâ primum suscepti, Scotico astu paulatim disperserunt.

Sed quid ego hæc ? capit ista suos injuria Divos.

Præterire tamen non possum Buchannani, hac in parte, tam mali Historici, quàm boni poetæ, figmenta, quibus modernæ *suæ Scotiæ* antiquitatem longè ultra Christi D. Nativitatem independenter ab *Hibernis*, unde orti sunt, profert, ac per hoc litteratis omnibus imponere audet; Enim verò Psalmorum paraphrasi, Mariam Scotorum Reginam sic pulchrè alloquitur.

Nympha Caledoniæ, quæ nunc feliciter oræ
Missa, per innumeros, sceptra tueris, avos,
Nec minùs pulchrè in ejus *Epithalamio* ita canit.
Si series generis, longusque propaginis ordo
Quæritur: hæc una centum de stirpe nepotes
Sceptrigeros numerare potest. Hæc Regia sola est,
Quæ bis dena suis includit sæcula fastis:
Unica vicinis toties pulsata procellis,
Externi immunis Domini: quodcunque vetustum
Gentibus in reliquis, vel narrat fama vel audet,
Fabula, longævis aut credunt sæcula fastis,
Huc compone, novum est.

Hæc quidem ut præclare ab eximio poeta de serenissimâ reginâ dicta sunt, ita sunt et verissima. Modò, ut loquitur Flahertius, p. 26. *Veteris Scotiæ* seu *Hiberniæ*, matris ætatem moderna filia, *Scotia* nempe *Britannica* adsciverit et perennitatis illius, filiâ matri succedente, utraque facta fuerit particeps. Sed nec in hoc solùm poeticus Buchanni furor sistit. Quin et sanctos olim nostros, et viros, doctrinâ, pietate, et armis celebres, per Gallias et alibi florentes, et *Scotici nominis prætextu* (qualis in rerum

naturâ, ante sæculum undecimum, ut antè notavi, nullibi audita aut lecta fuit) plus quàm poeticâ licentiâ adscribit, ut patet ex carminibus supra notatis, p. 23. in quibus Scotos sub Carolo Magno merentes velut suos introducit. Quæ et si vera quidem, Bucharnani tamen sensu falsa omnino habenda sunt, ut ipsa Gallorum testimonia evidenter ostendunt; ac imprimis Eginardus in vita Caroli Magni, cui Secretarius primùm et deinde gener fuit. Scotorum, inquit, reges sic habuit ad suam voluntatem, per suam munificentiam, inclinatos, ut eum nunquam aliter, quàm Dominum, seque subditos ac servos ejus pronunciarent. Dicet forte Buchannanus, per Scotos ibi non intelligi Hibernos: cui et ego repono; verte folium ad annum 812, et lege. *Norvegi Hiberniam* (N. B.) *Scotorum Insulam aggressi* a *Scotis* in fugam conversi sunt. Et si hoc non sufficiat, lege S. *Notkerum Sangallensum* sic scribentem: cùm idem *Carolus* regnare cœpisset, et studia litterarum ubique propemodùm essent in oblivione, contigit duos *Scotos* de Hibernia in littus Gallicum devenire viros et in secularibus, et in Sacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Horum unus inquit *Flahertius*, *Claudius Clemens*, Academiæ Parisiensis, alter vero *Joannes Scotus Erigena*, Papiensis Academiæ in Italia, jussu *Caroli Magni*, initia posuit. Suffragatur Ericus Antisidorensis, cujus hæc sunt verba, "Quid Hiberniam commemorem, contempto pelagi discrimine, pene totam cum grege Philosophorum ad nostra Gallicana littora migrantem? quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salo-

moni sapientissimo famulentur ad votum. Fidem dictis addit indubitatam ipsum *Caroli Magni* diploma (quod, regente in Austrasia Sigiberto Clodovei regis Galliæ, ex Clothario primo nepote, emissum est) in quo sequentia leguntur. "Cum jam per totam Galliam divinæ religionis fervor torperet, D. N. Jesus Christus ad repellendas ignaviæ tenebras, de occiduis Hiberniæ partibus splendidissimum radium Gallicis finibus emergi præcepit Columbanum egregium Scotigenam."

Innumeros alios ex Hibernia Sanctos adducere possem qui in Gallia meruerunt, de quibus suo loco fusiùs: ac præter eos, de quibus dictum est in testimoniis Auctorum paulo ante, sequentes præterire religioni ducerem. Quis enim sine piaculo præteriret *Mansuetum* S. Petri Apostolum Discipulum, primum *Lotharingiæ* Apostolum et Martyrem de quo Carthus ad 3. Sept., Canisius, Surius et alii? *Joannes Erigena*, seu *Hibernus*, quid præstiterit Oxoniæ in promovendâ Universitate et restaurandis bonis litteris, An. 884, Alfridi regis tempore. Idem testatur Waræus de Scriptoribus Hiber. Lib. I. tit. 5. Annal. Cænobii Winton, et Camdenus in edit. Londin. p. 267. Vincent. Bellov. I. 24, c. 42. Menard. et alii. S. *Rupertus* Episcopus Salisburgensis, et Apostolus Bavariæ, vide Canis. tom. 6. Math. Rederum, &c. &c. *Albuinus*. Episc. Fristlariensis, Apost. Turingiæ. Irithem Lib. III. c. 367. Lib. IV. c. 190. Wion. Ferrar. et alii. *S. Suithbertus*. Westphalorum, Saxonum, Frisonum, &c. &c. Apost. Bed. Lib. V. c. 10, 11, et 12, Hist. Angl. et

alii. *S. S. Aridanus* et *Caidocus* Morinorum Apost. vid. Alcuin. Malbranc. et alios. *S. Fursæus* Latiniacensis Cænob. fundator, aut certè restaurator. Vid. Bed. Lib. III. Hist. Eccl. Angl. Lib. XXIV. c. 80, &c. &c. *S. Elphius* Martyr, prope Tullum Leucorum (tempore et jussu Juliani Apostatæ) cum 3● sociis Martyrio coronatis. Vid. Ferrar. ad 14 Octob. Cratepol. de *S. S. Germaniæ.* Usser. in Indice Chronol. ad ann. 362. Rupert. Abb. Tutiens. in ejus vitâ apud Surium ad 16. Octb. quàm plures alios missos facio, tunc quia non sunt bujus loci: tunc etiam maximè quòd hæc per transennam hic adscribam, ut orbi universo pateret quorum *Scotorum* cum Gallis Commercia et fœdera olim intercesserint et consequenter fraudulosa Buchannani figmenta detegerentur ex quo, velut crimine ab uno disce omnes *Scoto* Britannicos Scriptores, tam nostri, quam superioris ævi, qui inani homonimiæ amphibologiâ rerum nostrarum gloriam sibi arrogare frustra conantur; contra ac fecerunt prædecessores eorum. Ut non immeritò ejusmodi fungi, apud sagaces auctores pro Mythicis habeantur: nec benigniorem mereantur fidem quàm Ægyptiæ Manetheonis tabulæ, ut appositè advertit Flahert. Sed ea sunt temporum nostrorum vitia, ut in origine antiquitatem et in moribus novitatem quivis affectet, quippe

"Ætas Parentum, pejor Avis tulit
Nos Nequiores: mox daturos
Progeniem vitiosiorem."

Nihilominus tamen inter ipsos etiam modernos *Scotos* Edmundus Hoyus, cum Radero ejusmodi pseudo-

historicos suæ nationis graviter repræhendunt, ob injuriam Hibernis illatam in rapinâ Sanctorum, et illustrium virorum. Ferrarius adhuc Servitarum General. Tom. II. Bavariæ, p. 254. Hagiacleptas, seu sacri furti reos ejusmodi appellat, Gerræitaque sunt, inquit Camdenus, quod Scoti scribunt *Scotorum* nomen et regnum plurimis ante Christum natum sæculis in Brittaniâ floruisse. Et certè, illa Britanniæ pars, quæ hodie *Scotia* audit, alia non est quàm veterum Caledonia, quæ, testibus Gyldâ et Bedâ, ne temporibus quidem Theodosii junioris à *Scotis* constanter habitata est, sed eorum tantùm incursiones ex Hiberniâ passa. Procedente autem tempore, inquit Beda, in Hist Angl. Lib. I. c. 5. Britannia post Britones et Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit. Et Dalriedinam locum, quem insederant, ibidem designat. Neque enim integra ipsa Albania, quæ moderna Scotia est, debellatis statim Pictis, sed tum demum, cùm populo utroque in gentem unam coalescente, absolevit planè gentis Picticæ memoria: quod, ut ante undecimum post Christi nativitatem sæculum, haudquaquam factum; ita neminem, qui toto antecedentium annorum spatio scripserit, produci posse arbitramur, qui Scotiæ appellatione, Albaniam unquam designaverit. Porrò (ut doctissimus Usserius annotat, de Eccl. Brit. primordiis pag. 734) licet Scotos, qui Hiberniam, et Scotos qui Britanniam incolunt, ven. Beda diligenter distinguat: ipsa tamen *Scotia* ei semper est unica, *eadem* nimirùm quæ *Hibernia*. Plus æquo fortassis in hac materiâ immoratus sum; quippe me

impulit fervor antiquitatis patriæ nostræ à Scoto-Britannorum rapinâ vindicandi; si quid autem hic non præstiti in decursu passim præstare conabor. Hic solummodò coronidis loco apponam quid sentiat Udboemmius Frisiorum Historiographus de *Scoto*-Britannorum antiquitate in novo suo opere Chronologico p. 198. Hoc solum judicamus, inquit, quæ de Scotis et eorum Regibus ab anno *330*. ante caput æræ Christianæ, cum Alexander Macedoniorum potiretur in Oriente, usque ad Fergusium secundum Regem Scotiæ 40, cujus initium conjicitur à Scotis in An. Chr. 404, qui ejectos è Britanniâ Scotos dicitur in eandem reduxisse: non ex Annalibus vetustis, vetustos auctores habentibus, sed agraphis traditionibus à recentioribus deprompta memorantur, ea nos pro certis habere non posse. Scimus enim quàm lubrico atque instabile fundamento nituntur. Quin imò ne ista quidem satis certa nobis videntur, quæ á Fergusii secundi initio, et Scotorum reditu in Britanniam in rebus Scoticis recitantur ad an. Christi 829. quo Picti scribuntur in Britanniâ à Scotis deleti. Quam pulchrè vir literatissimus, et candidissimus Historiarum Professor, Pseudo-Historicorum *Scotorum Albionensium* convellit figmenta, et appositè, quæ à me hactenus scripta sunt, confirmat: "*rumpantur ut ilia momis.*"

PARAGRAPHUS II.

De variis Hiberniæ Incolis.

Campam nunc aggredior spinis obsitam, ut rosas colligam. Spinas seminant temporis diuturnitas et pugnantium inter se auctorum varietas. Ut autem per spissas antiquitatis nebalas faciliùs è spinis rosas colligamus, incipiemus cum mundo à diluvio, nihil immorando circa Mundi ætates, diluvium præcedentes, quæ nostro proposito multum inservire nequeunt; si qui enim Hiberniam ante diluvium inhabitârunt; nobis certè post diluvium existentibus non aliter constare potest, quàm relatione divinâ, aut ope diabolicâ. Quocirca, ante-diluvianos Hiberniæ incolas missos faciemus: licet in antiquissimis patriæ historiis legatur: tres piscatores, Cappa, Lagne, et Luasat, ex Hispaniâ, adversis ventis actos, primos omnium in Hiberniâ portum offendisse, ab universali cataclysmo mox obruendos: sicut et *Cæsarea, Baronna,* et *Balba,* cum quinquaginta aliis fœminis et tribus viris Bitho, Ladrao, et Fintano; qui in Hiberniam appulisse dicuntur ante diluvium 40 diebus; vid. Flahert. pag. 162. Ut igitur à diluvio initium ducatur, Lectorem monitum velim, quòd, ut spinas evitarem alieni me ductûs esse voluerim; unde, Chronologiam quod attinet: nè me in pugnam provocet: aliarum gentium more Auctores patrios secutus sum, maximè Flahertium,

virum in Sacris, et prophanis, exteris, et domesticis historiis versatissimum : illos, si quid orietur contentionis, provocet. Id interim affirmare ausim: gentis nostræ antiquitates tam firmis nixas fundamentis, quàm aliarum gentium: quibus tamen penes scriptorum suorum traditiones permanere licet; liceat ergo et nobis. Quapropter (ut ex indubitatis patriæ historiis liquet) quinque fuerunt principales in Hiberniâ coloniæ : Quarum 1. erat Partholani, 2. Nemethiorum, 3. Belgarum, 4. Danannarum, et 5. Scotorum, seu nunc Hibernorum, de quibus nunc ordine agemus, ac primò—

DE PARTHOLANO, SEU PRIMA HIBERNIÆ POST CATACLYSMUM COLONIA.

Partholanus primus Hiberniæ post diluvium Incola vulgò statuitur: Alii tamen tradunt illum ante se, homines ibi invenisse ; alii brevi post illum supervenisse, quos Scriptores nostri Fomorios appellant (sub quo generali nomine Nostrates comprehendunt omnes transmarinos prædones ; primas Hiberniæ colonias infestantes, qui omnes ex semine Cham originem traxisse feruntur, et remotas orbis insulas inhabitare statuisse; quo faciliùs a debita Japheti posteris servitute subtrahere se possint, Gen. cap. 9.) sed Fomorios in specie dictos, putant esse Hiberniæ incolas sine origine ullâ, aut certâ sede, quales erant Latinorum aborigines, et Græcorum Gigantes, quos non aliunde advectos, sed herbarum, arborumque instar, ex terrâ genitos autumârunt, de quibus Virgil Lib. VIII. Æneid.

Hæc nemora Indigenæ, Fauni Nymphæq. tenebant
Gensque virûm truncis, et duro robore nati.

Et Juvenalis Satyr. 5.

——————— qui rupto robore nati,
Compositique luto nullos habuêre parentes.

Verum : si in Sacræ Scripturæ sensu gigantes accipiamus, non monstrosæ proceritatis homines, sed Tyrannos, et hominum oppressores denotant qui ob nimiam eorum sensualitatem e cœlo lapsi, vel terrâ geniti feruntur ; hinc Aborigines dicti, ut ut sit, perinde est ad nostrum propositum.

Itaque Partholanus (cujus genealogiam vide in Schemate nostro genealogico Coloniarum Hiberniæ) e Mygdoniâ Macedoniæ regione, vel Græco-Scythia, ut alii volunt, primam in Hiberniam Coloniam duxit, juxta Flahert. anno Mundi expirato 1696. ab universali diluvio 311, et ætatis Abrahæ 21, portumque attigit Inversgene in Kirigiæ Comitatu, mense Maio, lunâ 14, die Martis. Unde colligere est, Nostros olim in temporum dimensione Lunam observâsse, juxta vetustiores plerosque Antiquarios nostros : sed quâ ratione mensis Maii, aut diei Martis fiat mentio non assequor : cum circa id tempus ejusmodi temporis distributio facta non fuerit. Vid. tamen D. Flahertii conjecturam pag. 163. suæ Ogygiæ.

Partholanum (præter ejus uxorem, Elegnatam hibernicè Elgam, filiosque ejus Rudricium, Slangium, et Lagneum) comitati sunt mille viri, quibus hæc tota colonia constabat.

Partbolanum Ultoniam inhabitâsse fertur ante cujus adventum tres tantum lacus et decem fluvii Hiberniam irrigâsse commemorantur, de quibus carmina superiùs allata pag. 52. Anno autem Mundi, 1979, et decimo ab ejus adventu, primum in Hiberniâ prœlium commissum est ad montem *Naibh* in Lagenia, quo in prælio Partholanus adversus Fomorios victor, accepto vulnere, non diu post expiravit, ut et Slangius ejus filius ad montem sui nominis in Ulidiâ Ultoniæ sepultus. Secundo ab hinc anno ex effosso Lagnei tertiogeniti Partholani sepulchro lacus, ejusdem postea nominis, emanavit. Decimo verò, a morte Slangii anno Rudricius Partholani primogenitus, lacu in eum prorumpente, obruitur; unde lacus ab illo hactenus denominatur. Porro universam Partholani Coloniam, ad 9000 hominum hebdomadis spatio, peste extinctam tradunt Antiquarii. Sed Flahert. cujus auctoritas, et ratio magni apud me est ponderis, hanc coloniam 30mo. ab adventu anno extinctam vult, nempe anno Mundi 1999. adeo ut, Juxta illum, numerus 300 pro 30. irrepserit, quod facilè crediderim, cum, ut ille pulchrè advertit, ab anno adventûs 30mo. ne vel mentio hujus coloniæ in historiis occurrat. Nisi quod Virgil de regno Ditis scribit,

Ibant obscuri sola sub nocte per umbras,
Perque Domos Ditis vacuas, et inania regna.

2. DE NEMETHIORUM IN HIBERNIA, COLONIA.

Anno Mundi 2029, a vocatione Abrahæ 5 ante natum Jacobum 80. Nemethius, vel Nemedus (cujus genealogia in Schemate proponitur, ex eadem quâ Partholanus, Regione oriundus ut propinqua eorum ostendit cognatio : vid. Schema genealogicum ; Hiberniam jam annos 30. vacuam, et sylvis obsitam secunda plantavit Colonia comitantibus inter reliquos Andino cum uxore Macha, suisque filiis Starno, Hyerbanele vate, Fergusio *latus rubro*, totidemque nuribus. Porro, Nemethii temporibus quædam in Hibernia extructa sunt e cespite munimenta quorum nomina adhuc hodiè extant, ut *Rathkinech* in Lagenia, et *Raithkinbaith* in Dalaradiâ &c. &c. Quidam etiam campi eradicatis fruticibus, sylvisque excisis instructi, et lacus quidam innotuerunt, de quibus consule Flahert.

De anno autem mortis Nemethii non certò constat : dicunt tamen illum in insulâ, quæ D. Barri hodie dicitur, in Momoniâ cum 9000, hominum peste sublatum : cui mortalitatis generi, novas terrarum Colonias frequenter obnoxias ratio docet, et experientia. Vid. Flahert. pag. 169.

Nemethiorum quæ inde exstabant, reliquiæ, profligatis semel atque iterum Fomoriis, eorumque ductore Conango, ipsam deinde Conangi turrim vulgo Torrinis, inde grassari solebant, solo exæquârunt, anno mundi 2245.

Sed non ita Nemethiorum constans erat fortuna,

quin Fomorii, recollectis denuo viribus, eos ad internecionem deleverint. Adeo ut qui ex Nemethiis supererant, indociles servitutem pati, solum vertere decreverint, quod paulo ante, dum eorum res stetissent, inter se partiti sunt.

Duces fugæ *Britannus Calvus*, Nemethii ex Fergusio *rubro latere* filio nepos, et Ibathes, vel Baathes, ex Hierbanele vate pronepos.

Britannus, *Calvus* dictus, in proximam Hiberniæ insulam cum suis commigrat, quam ab ejus nomine posteri Britanniam appellarûnt: quæ antiquitùs dicebatur Magna Insula; unde, forsan per utriusque nominis conjunctionem, *Magna Britannia* hodiernum audit. Non igitur a Romanorum *Bruto*, ut aliqui fingunt; sed a nostro *Britanno Calvo* ut vetustissimi agnoscunt Britonum Scriptores qui Britanniæ suæ derivationem a Romanorum *Bruto* inter fabulas plane reponunt. Ibathes autem vel Baathes (ex quo orti Danannæ, in Hiberniam mox regressuri) in Scandiam transfretavit, quæ est pars Germaniæ aquilonaris, Daniam, Suetiam, et Norvegiam primitùs complectens.

Porro, hæc Nemethiorum ex Hiberniâ fuga juxta Flahert. pag. 66. contigit An. Mundi 2245. ætatis Joseph. 45. Sed paulo ante hanc fugam, describit Bruodinus pag. 833, propugnaculi Ecclesiastici, alios ipse Antiquarios secutus, qui volunt sequentem jam Coloniam per Simeonem Maculatum ex Nemethii semine descendisse. Unde juxta illum, Simeon Maculatus post Nemethiorum excidium, fugam in Thraciam convertit, ubi in tantam excrevit

gentem cujus potentia Græcis suspecta esset; quamobrem eos in servitutem redegêre, adeo ut terram quotidie effodere debuerint et in saccis coriaceis ad inculta, petrosa, et sterilia loca inde transferre. Tam duræ servitutis impatientes Simoniani, acceptis saccis et uxoribus, Græcorum naves furtim conscendere, et fugæ consulere cœperunt; atque inde in Hiberniam, unde Majores eorum ante egressi sunt, revertuntur, an. a morte Nemethii 207, a Diluvio autem 857. Et quia saccos portabant *Firbolg*, quasi Saccigeri dicti sunt, sed Flahertius Firbolg interpretatur viros Belgas: quód hæc Colonia ex *Belgis* potissimùm constaret. Cui et egô non invitus assentior utpote, qui perlectis et ponderatis, quæ exstant, regni antiquitatibus, opus suum edidit; quare relictâ Nemethiorum Coloniâ, sit cum Flahertio.

DE FIRBOLGORUM, SEU BELGARUM, 3. IN HIBERNIA COLONIA.

Ducentis annis, inquit Flahertius, â maris rubri, hinc indulgentis, illinc indignantis prodigio, Amzonum initia, et Belgarum in Hiberniam adventum refert poema chronologicum Hibernicum quod sic incipit.

Sæclorum Annales deducit ab origine Mundi.

Itaque Firbolg, seu Belgæ, juxta illum (contra ac vulgares nostri Antiquarii statuunt) linguâ et origine à *Nemethiis* distincti, ex septentrionalibus

Germaniæ partibus in magnam *Britanniam* devenerunt; unde ex parte ejus australi, an. mun. 2657, à Nemethiorum fugâ 412. *Hiberniam,* tam diu desolatam, et cultoribus vacuam, tertiâ coloniâ adimplêrunt; Ducibus Slangio, Rudricio, Senganno, Gananno, et Ganno, quinque filiis Delæ filii Loichi: de quorum Majoribus ulteriùs mihi non constat nisi, quòd fuerint viri Belgæ. Appulerunt autem in Orientali Hiberniæ parte ad Wexfordiæ, et Arkloæ portus, quod ostendit, eos probabiliter, ex Britanniâ solvisse: quippe brevis ibi ex australi Britanniâ in Hiberniam trajectus est.

Et quamvis tota hæc colonia communi Firbolgorum, aut Belgarum nomine veniat, ex triplici tamen gente constabat, nempe Belgicâ strictè, quæ ex inferiore Germania in Britanniam trajecit: Damnoniâ, vel Damnonicâ quæ in Britanniâ ante habitabat, et *Gallionia* vel Galleniâ ex urbe primariâ Attrebatiorum Gallenâ antiquitus dictâ, oriunda, vid. Flahert. pag, 14. Ac nescio, quâ rerum conjunctione sub *Belgarum* in *Hibernia* tempora, in citato jam Hiberniæ poemate, *Amazonum* fiat mentio? an fortè etiam sub id tempus Amazonum nomen orbi innotuit? et quidem Hiberniam tunc temporis cultoribus orbam non fuisse ostendit ejus mentio facta in *Argo-Nautarum* expeditione, teste Hadriano Junio, Hiberniam ita de se loquentem introducente.

" *Illa ego* sum *Graiis* olim *glacialis Ierne,*
Dicta, et *Iasoniæ* puppis bene cognita *nautis.*"

Reliqua, quæ sequuntur, lege in pag. 51. Contigit

autem *Argo Nautarum* expeditio, anno M. 2688, vid. Flahert. pag. 73. Quæ navigatio, præ omnibus ab orbe condito navigationibus, Vatum Præconiis celebrata est; adeò ut patriæ meæ congratuler, quod in ea expeditione illius fiat mentio. Cujusmodi Antiquitatis, inquit Cl. Usserius pag. 724, primord. Eccles. Brit. ne ipse quidem populus Rom. nominis sui testem proferre poterit auctorem. Porrò, Argo-Navis omnium prima oceano se commisisse fertur, ut innuunt seqq. vers.

"Vellera cum Myniæ nitido radiantia villo,
Per mare non notum primâ petiêre carinâ."

In eâ etiam ferunt Phasianas aves deliciosorum epulas, e Phasi Colchorum fluvio primùm in Europam delatas, teste Martiali, Lib. III. Epigram. 72, de Phasianâ ave loquens.

"Argoâ primùm sum deportata carinâ
Ante mihi notum nil, nisi Phasis erat.
Cujus Artifex *Argus*, *Typhis* Rector: quod sic effero.
Argoæ navis fabricator dicitur *Argus*:
Typhis in *Argoâ* puppe magister erat."

Sed hæc per digressionem, ad propositum ergo ut redeam: tota Belgarum Colonia, ut ex triplici gente conflata est, ita ex triplici parte Hiberniam invasit. Slangius, Galeniorum ductor, in Wexfordiæ sinu portum attigit in loco, ab ejus nomine, Inverslainge dicto. Rudricius cum Belgis portum in Ultoniâ nactus et similiter appulsûs locus, ab ejus nomine, Rudricianus Tractus deinde nuncupatus est. *Gan-*

nus autem, *Ganannus* et *Singannus Damnoniorum* duces ad austrum Dublinii in Lageniâ Arkloensem portum intrârunt, ab eorum tunc nomine *Inverdomnan* dictum. Est tamen alius hujus nominis portus in occidentali Conaciæ plagâ, ubi Damnonii longo post tempore dominati sunt. Quippe Insula inter quinque nominatos Duces, quinque partita est, regnavitque in Hiberniâ horum Principum Colonia annis 80, per novem Reges (de quibus postea) priusquam à Danannis, in Hiberniam reversis delerentur. Quare nunc sit

4. DE DANANNARUM IN HIBERNIA COLONIA.

Danannus, aliter Tuath-Dedannan, dictos putant quidem Antiquarii nostri: vel quod tria hominum genera comprehenderent: nempe Dominos quorum erat regere; *Magos*, seu *Druidas*, qui sacrificiis præerant, qui et Dii ab *Ethnicis* dicebantur: et *Poetas*, seu *Historicos*. Flahert. autem pag. 12. Thuath-Dee dici inde putat, quod populus ille ad Dean fluvium in Britannia antequam in Hiberniam appulisset, commoratus sit. Reliquum, quod est *Danan*: non ausim, inquit, Danorum nomini affinem dici: cum non nisi sæculis Christianis Danorum nomen cum eorum irruptionibus, Latinis innotuit. Potuit tamen diutius apud ipsos usurpari: quemadmodum *Scotorum* et *Pictorum* nomina, multis sæculis, suis gentibus prius, quam Romanis nota. Ut ut sit: Danannæ (sic eos deinceps facilitatis gratiâ nominabimus, cùm vocabulum *Tuath-Dee-Danan* ab

exteris non tam facile efferri possit) Duce Nuado Argentimano, ex Aquilonari Britanniæ parte in Hiberniam irrupserunt, *Belgisque* seu *Firbolg* in *Moyturensi* prælio (quod juxta nostræ gentis Chronologos cum Excidio Trojano coincidit) devictis, quartam in Hibernia Coloniam implantârunt, anno mundi 2737. annis 30. ante eversam Trojam.

Porrò, Danannæ, reliquiæ erant Nemethiorum, qui a Fomoriis deleti, fugam ex Hiberniâ arripuerunt an. mundi 2245. ut ante dictum, vel in Scandiam, ut vult Flahertius, Duce *Ibathe:* vel *Athenas*, ubi magicis artibus se applicuerunt, usque dum oppressi, per Daniam iterum et Norvegiam in Hiberniam redirent, ut alii volunt Antiquarii. Sed mihi Flahertii opinio, quæ *Ibathem* in *Scandiam* cum suis effugisse asserit, magis arridet: ubi successu temporis, *Faliam*, *Goriam*, et *Muriam* urbes incoluerunt; et deinde eorum posteri ad Septentrionales Britanniæ partes se contulerunt, ubi circa *Dobar* et *Indobar* commorati, donec Duce *Nuado Argentimano*, ut jam dictum est, Hiberniam invaserint, sedesque ibi, expulsis Belgis, 151 annis, usque ad *Scotorum* seu *Hibernorum* adventum, fixas tenuerint, per novem tantum reges, quorum dictus Nuadus secundus, etsi primus Coloniæ Ductor cujus geneologiam vide in Schemate Genealogico.

Itaque *Nuadus* hic, Danannarum Strategus, fusis in *Moyturensi* prælio *Belgis* eorumque ultimo rege, Achaio, amputatæ manûs usum amisit: quare illi argentea manus adaptata; unde *Nuadus Argen-*

timanus dictus. Belgarum porrò ex Moyturensi prælio reliquiæ, in *Britanniam*, *Hebrides*, aliasque vicinas insulas, migrarunt; nec feliciori successu secundo Moyturensi prælio; adjunctis Fomoriis, bellum redintegrâsse dicuntur. Sed postea Scotis, seu Hibernis advenientibus, ad expugnandos Danannas, sese junxerunt; unde latifundia, et dignitates suas recuperârunt. Adeo ut Crimthannus Skiathbel, ab Herimone rege, Lageniæ (quæ Belgarum tempore, Galleniorum provincia dicta est) præpositus fuerit: et Conactiæ reges usque ad Cormaci regis Hiberniæ tempora, ex Damnoniis fuerint (Damnonii autem ut antea monui, una fuit ex tribus Belgarum aut Firbolgorum gentibus.) Quin et multa hodie existunt per regnum loca, quibus hæc Belgarum colonia nomina indidit, sicut et familiæ quædam, etiamnum hodie ex Belgarum supersunt reliquiis: ut O'Beunachan in Sligoensi Comitatu, et O'Layn in Hymania, vastissimo O'Kellyorum tractu, qui et ipse O'Layn, principis aut senioris O'Kellyorum familiæ fuit vasallus. De his et aliis huc spectantibus vid. Flahert. pug. 175. Ego interim *Scotorum* seu *Hibernorum* coloniam (in cujus solius gratiam hoc a me opus susceptum est) quà mari, quà terra ex Schytiâ in Hiberniam deducam. Quare sit

5. DE SCOTORUM SEU HIBERNORUM IN HIBERNIA, COLONIA.

Hujus Coloniæ quæ a diluvio universali in Hiberniâ quinta est, et quæ unica huic meo operi ma-

teriam suppeditatura est, originem altius repetere et progressum continuâ serie ad nostra usque tempora deducere juvabit. Itaque, multiplicatis post diluvium Noemi posteris, et orbe universo inter illos partito, *Asiâ* intra Euphratem, ad Indicum usque Oceanum *Semo* datâ, reliquâ Asiâ, cis Euphratem cum totâ *Europâ* ad Gades usque *Japheto*, *Syria* verò cum *Arabiâ* et *Africâ* tota Camo obtigit. Processum igitur ab Oriente est ad amœnissimos campos *Senaar* in Mesopotamiâ, ubi, antequam dispergeretur in diversa Mortalium genus, civitatem, quæ potentiæ monumentum esset, ad Euphratis ripam condere, et in ea turrim Cœlo minitantem erigere cœperunt, processit verò opus 22 annorum, cum Deus Opt. Max. superbæ ædificantium vanitati, quasi per contemptum illudens, eorum omnium idioma quod tunc unicum erat, et probabiliter quidem Hebraicum, in 72. quot tam fuerunt ædificantium familiæ, dispersit: quâ linguarum dispersione, aut confusione, talem induxit in animos perturbationem, ut, dum loquerentur omnes, pauci perciperent, copiâ nimiâ sermonis inopiam pariente; adeo ut relicto jam, non potentiæ, sed confusionis monumento, in regionem suam, quique profecti fuerint, nec se meminerint.

Solus *Heber*, *Phalegi* pater, quia ædificationi se non immiscuit, linguam priùs omnibus communem sibi et Posteris suis Hæbreis vindicare, ac conservare meruit. Fenisius autem, vel Fenius *Fersaidh* dictus (cujus geneologiam vid. in schem. sect. 21.) *Heberi*,

ut notavi coætaneus), Hibernicam linguam, unam ex 72 linguis e confusione Babylonicâ ortis, sibi suisque adhærentibus conservavit. Et quia primus eam litteris consignavit, certisque regulis complexus est, nonnulli eum volunt Hibernicam linguam ex linguis jam recens natis, ac distinctis excerpsisse et de novo composuisse, quod tamen credibile non est; cum id confusionem potiùs augeret; quasi tot linguæ jam distinctæ non sufficerent, cum tamen unica ab initio fuerit. Addo, hoc non tam difficile præstandum, quàm supervacaneum fuisse. Hinc ergo tantùm sequitur; *Fenisium* illum, *Scoto-Hibernorum* progenitorem (a quo *Fenii*, *Fenisii*, aut *Fenesiadæ* dicuntur) unum fuisse ex principibus, qui gentium dispertioni interfuerunt, et familiis præerant, ac linguam quæ illi et posteris obtigit, regulis illustrâsse litterisque consignâsse; unde Scoticarum litterarum primus inventor habetur.

Terram in Schytiâ post avum *Magog*. *Schytarum* Satorem, nactus est *Fenisius*, cujus dominium cum linguâ per decem generationes usque ad *Lamfinnum* posteris suis transmisit. E posteris autem *Niulum* filium ejusdem *Fenisii* post linguarum divisionem in lucem editum: ac proinde *Phaleg Hæberi* filio coætaneum fuisse, et in Ægyptum contendisse, ubi Pharaonis indurati filiam in uxorem duxisse fertur, ex quâ genuit *Gaidelum*, a quo *Hiberni Gaideli* vel *Gatelides* nominantur.

Volunt præterea eundem *Niulum*, *Gaidelum* filium, *Asruum* nepotem, *Sruum* pronepotem, et *Heberum Scot* abnepotem (exeuntibus Ægypto *Israelitis*, ductore *Moyse*) omnes ætate vegetos vixisse: et

Pharaone, Niuli, ut volunt, socero Erithreis fluctibus obruto, in Schytiam mox rediisse, ubi ab incolis malè habiti in Gothiam migrare coacti sunt, ibique per centum annos, et ultra permanserunt, donec tandem in *Hispaniam* solverunt, ex quâ denique in Hiberniam penetrârunt, ubi adhuc suis in posteris vivunt, perennantque. Et hæc est traditio apud nos vulgò recepta. Verùm diligentissimus rerum indagator Flahertius, p. 72. non solùm *Niulo* tantum denegat ætatem: sed ejus etiam cum *Pharaone* indurato affinitatem, et cum *Moyse* familiaritatem abunde refellit; ac sentit cum melioribus nostræ gentis Chronologis, *Fenisium*, quartum a *Noemo*, linguarum tempore, et consequenter *Heberi* æqualem fuisse, et *Lamfinnum* a Niulo nonum, *Josephi* in Ægypto coævum, ante exitum Israelitarum de Ægypto, relictâ Schytiâ, in Getuliâ Africæ regione, non verò in Gothiâ sedem fixisse.

Et certè hæc opinio priore multò probabilior videtur: tum quia incredibilis ferè est tanta *Niuli* ætas, quantam illi obtendunt: tum quia, ut notat adhuc Flahertius ex S. Scrip. constat nullum Pharaonem in Ægypto dominatum a linguarum dispersione ad *Israelitarum* Exodum tam diu vitam proletâsse. Sed et ipsum Pharaonem rubri maris fluctibus obrutum alium fuisse constat, a *Pharaonibus* qui *Josephi* temporibus aut antè, rerum potiti sunt in Ægypto. Quæ cum ita sint, Flahertio deinceps assentiri non hæsito. Itaque *Lamfinnus* a (*Fenisio Scoto-Hibernorum* primo satore, decimus, ut in serie genealogicâ videre est) cum patre *Agnomanio*, mox

in itinere morituro, e Schytiâ profectus est, sedemque non in *Gothia*, aut Galatia, ut quidam volunt, sed per sinus Illyricos in Africam penetrans, sedem inter Getulos fixit; ubi natus ei filius *Heberus* Genucandidus, dominiumque in posteros ad nonam usque transmisit generationem. Adeo ut, non malè opinetur Flahertius p. 67. quos nostri sermone patrio *Gethluige* dixerunt, Getulos fuisse e primis Africæ Indigenis, quorum postmodùm Rex *Iarbas* Byrsam Carthaginis territorium *Didoni*, ex Phœniciâ profugæ, cessit. Huc facit, qùod in nostrorum Majorum migrationibus ex Schytiâ per pontum Euxinum, mentio fiat freti Gaditani, seu *Herculei Bosphori Thraciæ, Hellesponti, Maris Ægei, Cretici, Siculi* et demum *Africi;* quâ certe viâ e Schytia rectà in Africam navigatur. Confirmatur ulteriùs qùod relictâ tandem Africâ in Hispaniam Majores nostri devenerint, quia opportunus inde est trajectus ut longo post tempore experti sunt *Carthaginenses* et *Saraceni,* qui, Gaditano Herculis freto emenso, Hispaniam invaserunt.

Lamfinni igitur posteris seu *Scoto-Hibernis* per novem generationes in Africâ commorantibus tandem de Hispaniâ occupandâ cogitatum; ac rebus omnibus maturè deliberatis, sub auspiciis *Brathai* a *Lamfinno* noni (vid. seriem Geneal.) Getuliam Hispaniâ fæliciori solo commutârunt, anno mundi 2767. Circa quod tempus contigit Excidium Trojanum, et prælium Moyturense in Hiberniâ, quo *Danannæ,* duce *Nuado Argentimano Firbolgorum* gentem contriverunt. Porrò *Scotos* vel *Schytas Hispaniam* commigrâsse ostendit Silius Italicus, origine Hispanus,

qui *Concanas* Cantabriæ incolas *Massagetis* seu *Schytis* oriundos docet his vers. Lib. 3.

" Et qui *Massagetam* monstrat feritate parentem
Cornipedis fusâ satiaris, *Concane:* venâ."

Et paulò post *Susanam* Hispaniæ urbem a *Sarmatis* conditam tradit hoc versu.

Priscaque *Sarmaticos* attollens *Susana* muros. Per *Sarmaticos* quid aliud omnes intelligunt Scriptores, quàm Schytas? Quid? quòd *Iberus* celeberrimus Hispaniæ fluvius, a quo Hiberniam aliqui dictam volunt, in Cantabriâ ortum habeat: ibidemque in Biscaiâ, Hiberniæ proxima, *Schyticum* promontorium emineat. Quid plura? adeo omnes consentiunt *Scoto-Hibernos* ex *Hispania* in *Hiberniam* commigrâsse, ut probatione amplius non egeat; sed quomodo et quando? nunc ostendendum. Itaque,

Hibernos ex campo *Senaar* in gentium dispersione, duce *Fenisio Fersaith* (quem diximus *Japheti* per *Magog* pronepotem et *Heberi* coætaneum) in *Schytiam* duximus, ubi per decem generationes usque ad *Lamfinnum* habitârunt. *Lamfinnus* igitur, relictâ Schytiâ, viâ, quam ante descripsimus, in Africam navigavit, ubi sedem inter *Getulos* fixit ad ann. mundi 2245, manseruntque ibi ejus posteri per novem generationes usque ad *Brathaum* a *Lamfinno* nonum, de quo paulò ante verba fecimus, et cujus auspiciis Majores nostri ex Africa in Hispaniam transiverunt, circa ann. mundi 2767, mansionemque ibi habuêre per generationes tres usque ad *Milesium Hispanicum* dictum. Porrò Milesius, aliter Golas, Hiberniæ Regum Sator (a quo *Hiberni Milesiani,*

Mileriani, vel *Golamides* audiunt) in Hispaniis floruit, anno 12. regni Davidis, Mundi verò 2901 a Diluvio universali 1245. Et hic *Milesius* (sive in *Hispaniâ* semper usque ad mortem permanserit, sive in *Schytia*, et post in Ægypto meruerit, ductâque in uxorem Scotâ *Pharaonis Nectonibus* vel *Nectimni* filia, redierit, ut nostri volunt Antiquarii, per me licet,) octo genuit filios quorum tres *Heberus*, scilicet, *Herimon* et *Hirus*, simul cum *Itho Milesii* patruo, *Hibernorum* regioni, ac regibus originem fecerunt.

Expeditionis Milesiorum in Hiberniam occasio fuit *Ithi* jam nominati cædes: qui cum *Hiberniam* inviseret, aut exploraret, a *Danannis* cæsus; curiositatis, an temeritatis luit pœnam? alii volunt eosdem *Milesios* ob plurium annorum in Hispaniâ sterilitatem, solum vertere, ad quærendas peregrè sedes coactos. Ut cunque sit,

Milesii seu *Scoto-Hiberni* qui et *Gaideli*, *Schytica gens*, e Cantabria, citerioris Hispaniæ provinciâ, instructâ classe, in Hiberniam solverunt an. mun. 2934. et 5. regni *Salomonis*, Calendis Maiis, luna 7. die Jovis, ut habet Flahert. his vers. ad an. mund. jam dictum

"*Scotica Cantabriæ* tum solvit littore classis
Gathelidæ, priscis gens orionda *Schytis*.
Tempus erat *Salomon*, quo structa dicaverat uni,
Templa opibus, donis, mole superba Deo.
Septima luna, Jovi sacra lux, Maiæque Calendæ,
Appulsûs annum symbola certa notant."

Et certè, nullius unquam gentis migrationem tam certis consignatam *Ephocis*, legi, quàm hanc Majorum nostrorum migrationem. Quas Ephocas ut ad historiam universalem maximè pertinentes, bonâ Lectoris veniâ, ex Flahertio huc inserere non distulii. Numerus primus (a me adjectus) istius *æræ* aut *Ephocæ* initium denotat: secundus verò annos ab inde interjectos, usque ad *Scotorum* in *Hiberniam* appulsum.

Annum mundi jam antè adnotavi, nempe,

2934. Quare ab aliis incipiendum *Ephocis*. Quamobrem.

1657. A *Diluvii* universalis recessu ad *Scotorum* in *Hiberniam* adventum effluxerunt anni 1277.

1758. A nativitate *Phaleg*, terrarum *divisione*, et linguarum *confusione*, 1176.

1969. Ab adventu *Partholani*, primæ in *Hiberniam* Coloniæ ductoris 965.

2029. A *Nemethiorum* in *Hiberniam* migratione 905.

2245. A *Conangi* turris excidio, et *Nemethiorum* exterminio 689.

2657. A *Belgarum* in Hiberniam appulsu 277.

1737. A *Danannarum*, *Nemethiorum* reditu, et prælio Moyturensi 197.

1949. Item a natali *Abrahæ* 985.

2024. Ab ejus e *Charris Mesopotamiæ* primo egressu in *Cananæam* et rerum *Hebraicarum* initiis 910.

2453. Ab *Exodo Israelitarum* ex Ægypto, 481.

2493. Ab eorum ingressu, defuncto *Moyse*, in *Cananæam*, 441.

2499. Ab anno *Jubilæi* primi Sabbatico; quo ab armis conquieverunt, terramque per Tribus distribuerunt, 435.

2891. Periodi Hebdomadum Annalium ex *heptaeteride* confectæ anno primo et periodi Jubilæorum *heptaeteridum* septem, 43.

2889. Ab initio regni Davidis, 45.

2929. Regni Salomonis, 5.

2933. A Templi jactis Fundamentis, 1.

1717. Item in litteris profanis exteris anno *Ephocæ Chaldæorum* antiquissimæ, 1217.

1777. A *Nini Idololatriæ* auctoris initio, 1157.

2093. Ab *Inachi* Argivorum Regis initio in Græciâ, 841.

2154. Ab *Ogygis* in Bœotia Regnantis initio, 780.

2189. Ab *Ogygis* Diluvio, quo periit, 745.

2437. A Diluvio *Deuchalionis* in Achaia, 497.

2626. A *Jani* in Latio primordiis, 308.

2688. Ab *Argo-Nautarum* expeditione in *Colchos*, 246.

2692. A Theseo Athenarum Rege nato, 242.

2713. Ab Hercule in Hispania, Gallia, et Italia, 221.

2714. Ab Herculis et Thesei victoria de Amazonibus, 220.

(In quâ Hercules Hypolitam earum reginam Baltheo nudavit, qui inter labores Herculis sexto loco refertur juxta versum)

"Threiciam sexto spoliavit Amazona Baltheo."

2715. Ab Herculis expeditione in Phrygiam et Priami initio, 219.

2767. A Trojæ incendio, 167.

2776. Ab Ænea Latinum socerum defunctum excipiente, 158.

2801. Item; ante Carthaginem inter Getulos in Africæ orâ, a Didone et Phœnicibus fundatam, 133.

3197. Ante Romæ cunabula ex Varronianis Palilib. 263.

3949. Ante caput Æræ Christianæ, 1015.

4381. Ante S. *Patricii* Apostolatum, 1447.

Ecce Ephocas notissimas ac certissimas quibus *Scoto-Hibernorum* ex *Hispania* in *Hiberniam* migratio Ann. Mun. 2934, a D. *Flahertio* exactissimè consignatur ac demonstratur, vid. pag. 84, ipsius *Ogygiæ* exteræ.

Porrò, Duces præcipui Hibernicæ expeditionis ex Hispaniâ erant numero 40, ex quibus *Heberus Donn* octo fratrum *Milesii Hispanici* filiorum, natu major, et *Herimon* fratrum penultimus, aliis omnibus, ut et universæ classi præfuerunt, donec littori appropinquantes, Danannarum viribus, (an magiâ potius, ut vulgò traditur) repulsi et oceani inclementiâ dispersi fuerint? quidam etiam tempestate obruti periêre. Portus tamen sparsim per Insulam tenuêre reliqui, levibusque binc inde præliis commissis Danannas invaserunt, non opresserunt, donec tandem, conjunctis viribus, inquit Flahertius, pag. 83. ad Talten in Midia, Danannarum gentem singulis tribus regibus, (tum enim tres erant fratres, ultimi Danannarum reges, alternatim regnantes) singulorum advenarum fratrum, scilicet, *Heberi-Finn*, *Amergini*, et *Herimonis* ferro cadentibus, memorabili

prælio penitus exciderunt, moxque Insulàm universam longa Posterorum serie possidendam, in ordinem redegerunt; munimenta scil. et vallata propugnacula, hibernicè *Ratha* vel *Duna* extruendo, prata et campos a memorum umbris excludendo et culturæ aptos reddendo. Sed notatu dignissimum, hoc bono Hibernorum omini fuisse, quod eadem ipsâ nocte, quâ Milesiani Hibernicum solum attigerint, terra duobus in locis absorpta duos pulcherrimos lacus elicuerit: cum tamen *Belgarum* et *Danannarum* temporibus nec lacus e terrâ *eruperit* nec campus e sylvarum latebris subductus fuerit.

Particularia hujus migrationis qui scire voluerit, adeat Flahert. pag. 182, ubi præcipui duces, principaliores fœminæ, et ubi portum attigerint, et qui tempestate, aut casu perierint, adnotantur. Sicut et *Amergini* judicium inter duos fratres *Heberum-Finn* et *Herimonem* de principatu Hiberniæ. Quod tamen impedire non potuit, quominùs illud idem in contentionem rediret apud posteros, quod poeticâ contentione disceptatum est, penultimo jam sæculo sub Jacobo I. M. Britanniæ et Hiberniæ rege, inter Thadæum Bruodinum Tuomoniæ et Lugadium O'Clery Tirconnaliæ Antiquarios de principatu inter eorundem duorum fratrum stirpes: Australis Hiberniæ partes cui *Heberus* præfuit, Bruodinus: Septentrionalis verò cui *Herimon*, Clerius in se defendendas suscepit, uterque carminibus patriis ultro citroque transmissis magno animorum æstu contendit. Verùm præcipuum Bruodini argumentum, in eo situm, quòd *Heberus* esset primogenitus, hac unicâ ratione,

convellit Clerius; quòd ratio primo-genituræ cesset ubi sceptrum armis acquisitum est:

Sinsireacht nighabhann ceart
Attir do ghabhthar le neart:
Calmachd na bhfhear is ceart ann,
Sni sinsireacht fhear nanbhan.
Senioris agris jus cadit
Quêis vis domari contigit:
Virtus virorum ætatibus
Non cedit imbellûm senum.

Quam rationem ita metricè amplificat Flaher. pag. 407.

" Jus nihil est natale solo quod quæritur armis
Fortior imbelli fit seniore puer.
Non major natu sed robore maximus est dux
In terris victrix, quas premit ense manus.
Non frater senior præstat, sed dignior armis,
Cum ruit hostiles vis inimica lares.
Res igitur ferro si quando; non quotus annis
Sed quotus est palmis anteferendus erit.
Si plagis subigenda plaga est, maturior ætas
Posthabita est ausis præcocis ingenii.
Jura paterna domi seniorem ex besse manebunt,
Parta ex asse foris prosperioris erunt.
Naturæ abripuit virtute, quod illa negârat
Tempore; germanum gignier ante suum.
Marte suo, non sorte patrum quem laurea cingit,
Antevenit meritis tempora iniqua suis.
Concedunt animis anni spoliisque potitur
Non citiùs genitus, sit nisi marte prior.
Devictis potitur fundis præstantior armis

Non refert natu an major utrumve minor?
Junior aut senior partos vi possidet agros
Frater uter terris acer et acer aquis.

Utcunque res sit, non cesset adhuc hæc controversia, quamvis ego cum Flahertio in sequenti regum poemate Herimonem Hebero præferre non dubitem. Porro, ex dictis colligere est, Amerginum sub fratribus suis supremum egisse vatem (vernaculè Filedh) quo nomine non poeta tantùm, sed philosophus præsertim intelligitur: et illum quidem primum Hiberniæ Historicum, Judicem, Poetam, et Philosophum fuisse testatur sequens *distichon.*

"Primus Amerginus genu-candidus Auctor Iernæ
Historicus, judex lege, Poeta, sophos."

Et hæc in præsentiarum dicta sufficiant de *Scoto-Hibernorum* in Hiberniam migratione, et Colonia quam quinque adhuc aliæ gentes præcesserant, ut ex hactenus dictis liquet, nempe *Partholani,* et *Nemethi* Coloniæ, *Belgarum* et *Danannarum* Dynastiæ, ac demum Fomoriorum infestationes. Porro, *Scotorum* Dynastiæ reges e tribus *Melitis* aut Milesii Hispanici filiis, Hebero, Hiro, et Herimone, præter tres e Milesii patruo Itho et e populo unum, descenderunt; ut amplius patebit ex sequenti poemate; Quare sit.

SECTIO II.

CONTINENS Poema Chronologicum-Bipartitum, totius operis Flahertiani summam a Mundi exordio ad Caroli 2. M. Britaniæ et Hiberniæ regis, tempora complectens; a me verò ubi opus erat, emendatum, aut restitutum, ut et characterum diversitate, notulisque illustratum, atque etiam ad præsentem annum 1703, continuatum. Numerus primus Ann. Mundi, vel æræ Christianæ: Secundus verò annos regni denotat.

PARS I.

Poematis Chronologici de primis Hiberniæ Incolis et Coloniis; item de Regibus Hiberniæ Ethnicis ab anno mundi 1960, *ad annum mundi* 4381. *Æræ Christianæ* 432. *per annos* 2412.

Ogygiæ mihi carmen erunt primordia terræ,
Deductum ad nostros condito ab orbe dies.
Passa quot est gentes, Reges quot Hibernia norât,
Musa refer tempus, digere quodque suum.
Mille quater, quinos decies si dempseris annos,
Mundo *incarnati* convenit æra Dei.*

* An. Mundi 3950 primus æræ Christianæ.

1656. Ter, quater octavum post sæcla bis octo sub annum,
1. Arca nat: hinc annum fluctibus acta maris.
1657. Hinc *Partholanus* ter centum, sexque bis annis,
312. Primus *Inisfaliæ* detegit hospes agros.
1969. *Juvernam* incoluit ter quinque biennia tantum,
30. Cum totum abstulerit pestis acerba genus.
1999. Desertam totidem *Nemethus* adiverat annos,
30. Rursus, ubi arboribus sylva tegebat humum.
2029. Bis centum, bis et octo annos *Nemethia* proles
216. Præfuit, ad turris damna, Conange, tuæ.
2245. Tertiò, *Ierna* vacat, sylvestribus obsita dumis,
412. Bis duo sæcla, annos quinque bis, atque duos.
2657. *Belgæ*, *Damnonii*, simul et *Gallenia* pubes,
Has sibi tum vacuas asseruêre plagas.
Inclyte *Dela*, tuis hæc quinque Colonia Natis
Paruit: hinc rex fit primus, *Ierna*, tuus.
Scinditur in quinas a fratribus Insula partes;
Jus habet at quâvis parte Monarcha suum.
Centum Supremos, novies quatuorque Monarchas
Inscia adhuc veri vidit *Ierna* Dei.
80. *Belga* novem dederat per dena octennia reges,
Quinque simul fratres, quatuor hisque satos.
2737. Ex Arcto Britonum rediens gens gnava, *Dannanæ*
Nemethi repetit pristina jura genus.

Hi totidem reges tribus annis ante ducentos
Fata sibi, absolvunt, quas statuêre vices.
2737. Prima *Danannarum* gestavit sceptra *Breasus*,
7. Septima quem *Nuado* cedere fecit hyems.
2744. Quinta *Argentimanum Nuadum* quater abstulit æstas,
20. Classis ab Arctoo Dux fuit ille solo.
2764. *Lugad Longi-manus* Procerum moderamen adeptus
40. Nostra quater denis messibus arva regit.
2804. *Dagdaus* Imperio per lustra bis octo potitur,
80. Vix ratus est Parcas posse nocere sibi.
2842. *Dalboetus* patruo succedens filius *Ogmæ*,
10. Sceptra *Danannarum* per duo lustra gerit.
2894. Quinque bis Autumnos *Fiachus* regnaverat hæres,
10. *Dalboethi*, *Ogygiæ* quà patet ora, patris.
2904. Tres alternatim concordi fœdere fratres,
30. Postremi ad clavum ter duo lustra sedent.
Ter gemino patrio est hæc Insula nomine dicta,
Horum e reginis: Eria, Banba, *Fo-dla*.
2934. Scotica Cantabriæ tum solvit littore classis,
Gathelidæ priscis gens oriunda Scythis.
Tempus erat *Salomon*, quo structa dicaverat uni,
Templa opibus, donis, mole superba Deo.
Septima luna, Jovi sacra lux, Maiæque Calendæ,
Appulsûs annum symbola certa notant.
Debita, contritis, *Juvernæ*, sceptra, *Danannis*,

Milesii soboles asseruêre sibi.

His sata progenies, gens non delebilis ævo,
Perstat adhuc patrio nobilis usque solo.
Undecies denis* regnatur, et octo Monarchis,
Ad nova Patricii nuncia sacra pii.
Sex decies Herimon princeps cum semine complet,
Reginam et reges octo ter Hirus habet.
Tres facis, Ithe, duos, novies tribus addit Hiberus,
E vulgo reliquos Carbreus inter erat.
Milesii proles Herimon, et Heberus, et Hirus,
Milesii sed enim patruus Ithus erat.
2934. Mille, quadringentis, duodenis, et quater annis
1. Illius incoluit gentis *Ierna* Deos.
2935. Post annum est *Herimon Scotorum* Rex prior unctus,
13. Messibus arva decem rexerat, atque tribus.
Temoriam extruxit conjux *Heremonia Thais:*
Summus ibi Imperii mænia celsa, locus.
2942. *Mumneus* Imperio cum *Lagneo Lugnius* æquo
3. Regnârunt annis nati Herimone tribus:
2951. Filius *Euryalus* denos *Herimonis* ad annos,
10. Gestârat Regni regia Sceptra novi.
2961. Excipit *Ethreolus* genitorum regius hæres,
20. Bis tot et autumnos, quot pater ante, sedet.
2981. Primus *Heberiadum* soboles *Conmalus* Heberi,
30. Milesios fasces bis tria lustra gerit.

---

* 118 Reges Ethnici.

3011. Sceptra *Tigernmasius* repetens dominatur aristas,
23. Tres et viginti, Rex Herimone satus.
3034. Post Idolorum quam se devoverat aris,
7. Rege carens solium septima vidit hyems.
3041. Quatuor ad messes de semine *Achaius Ithi*,
4. Arbiter e summo jura dat æqua throno.
3045. Succedunt Hiri fratres e stirpe Sobarchus,
40. *Kermnaque:* complêrunt lustra per octo vices.
3085. *Conmalo* sequitur prognatus *Achaius*, anni
20. Curriculum regni quinque dedêre quater.
3105. Inde Tigernmasii pronepos *Labrannius* agros
24. Autumnis *Fiachus* sex quater usque regit.
3129. Regnat *Heberiades* septem ter *Achaius* annos,
21. *Mumo Mumoniæ* dicitur unde solum.
3150. *Olmucad Æneas Herimonius* (inclytus ultra
18. Littora nostra) sedit messibus octo decem.
3168. Ennius alternas e stirpe reportat *Heberi*
24. Annorum spatio quippe ter octo vices.
3192. *Scotigenûm* undenas potitur *Rotheactus* aristas,
11. *Olmucad Æneæ* Regis honore nepos.
3203. Regia *Sednæus* stirpem revocârat ad *Hiri*,
5. Sceptra simul binis messibus atque tribus.
3208. Filius huic vitam malè gratus ademerat hæres
14. Rex Fiachus brumis quatuor, atque decem.
3222. Rector *Hibernigenûm Munemon* fit Hiberius annos,
1. Quem, post quinque, neci pestis acerba dedit.
3227. Hinc *Faldergodius Munemonis* nobile germen

9. Ter tribus Autumnis regna paterna tenet.
3236. Clara quater denis stirps *Ollamfodlaus Hiri*
14. Messibus ad clavum sistit *Ierna*, tuum.
3276. Filius insequitur pestis *Finnacta*, veneno
20. Consumptus, residens lustra quaterna throno.
3296. *Finnactæ* frater cadit absque dolore *Slanollus*,
17. Septenis regnans, messibus, atque decem.
3313. *Gedius*, ablatis suffectus fratribus hæres,
12. Quinque regit brumis, quatuor atque tribus.
3325. Occisum *Fiachus* patruum diademate privans,
8. Arbitrio populos messibus octo regit.
3333. *Berngalus* ulciscens patruelis funere patrem,
Tres quater æstates civibus usque præest.
3345. Sufficitur cæsi solio patruelis *Olillus*
15. Æstates regnans quinque ter ante necem.
3360. Restituit stirpi fasces *Herimonis Hibernos*
21. Sirna senex. Annis rex tribus, octo decem.
Primo anno *Sirnæ Solymæ** Babylonius arces
Vastat, et in cineres dat Salomonis opes.
3381. Fulmine progenies ictus *Rotheactus Heberi*
7. Septem annos populos frenat *Hibernigenûm*.
3388. Tum patris *Elimius* successor regius annum,
1. Possidet omne suâ sub ditione solum.
3389. Ter tribus Autumnis regni moderatur habenas
Gillchadius, *Sirnam* qui sibi fecit avum.
3398. *Elimio* genitus *Juvernam* temperat annis

* Excidium Hierosolimitanum.

Quatuor *Arturus*, quinque tribusque simul.
3410. *Finnfalius* tredecim *Nuadus* compleverat annos,
13. *Gilchadii* genitus sanguine regis erat.
3423. Regius *Arturi* natus diadema *Breasus*
9. Induit: Autumnis sex tenuitque tribus.
3432. Optachus hinc *Fodlæ* dominatur *Achaius Ithi*
1. Progenies ternis mensibus atque novem.
3433. Bina per Ogygios regali decennia campos,
20. Finnius ex Hiri semine munus obit.
3453. Regia *Sedneus*, soboles præclara Breasi
14. Sceptra tenet messes quatuor atque decem.
3467. Cui *Breaco* cognomen erat, sex jugiter annis,
6. Regna *Simon Nuadi* tractat avita nepos.
3473. Candida *Sednæi* soboles octenne *Duachus*,
8. Transigit in solio tempus, *Ierna*, tuo.
3481. Præfuit *Erigenis* annum non amplius unum
1. Principe *Muredachus Bolgra Simone* satus.
3482. Quinque annis proles regit *Ennius* alma *Duachi*
5. Donec Heberiadum sustulit atra lues.
3487. *Lugadium* totidem quinis æstatibus *Herdon*
5. Extincto proceres substituêre patri.
3492. Sanguine *Longimanus* prognatus *Sirlamus Hiri*
16. Octo bis Erigenûm messibus arva tenet,
3508. Semine progenitus, *Navalis*, *Achaius*, *Heberi*
12. Regnavit brumis rex tribus, atque novem.
3520. Quinque annos fratres et Achaius atque Conangus,
5. Muredachi regnant, regis uterque nepos.

3525. *Lugadius* quatuor detrusit utrumque per annos
4. *Rubrimanus,* lumbis cretus, *Hebere,* tuis.
3529. *Rubrimani* redimit fraternam cæde *Conangus*
7. Atque iterum brumas quinque, duasque sedet.
3536. Hinc subit *Arturus* de semine natus *Heberi,*
Temoriæ senis messibus arce potens.
3542. Quinque Domo genitus Regnator *Olillus* eâdem
9. Candidus, autumnis, bisque duobus erat.
3515. Filius huic septem suffectus *Achaius* annos
7. Quà maris *Ogygiam* circuit, unda regit.
3551. Hiriadum princeps Argetmarus exul Jernam
10. Autumnos repetens quinque bis usque tenet.
3568. *Ladgraus* Imperium quinquennia bina *Duachus*
10. *Muredachi* regis vindicat ense nepos.
3578. Semine *Lugadius* cretus *Vitulinus Heberi*
4. In bello regnum post quadrienne cadit.
3582. Hiriadis orti patruis septem ter *Aidus.*
21. *Dithorbusque* annos, *Kimbaithusque* sedent.
Kimbaithus primo Maio moderaminis urbem
Regibus *Emaniam* condidit Ultoniæ.
Annis sexcentis post sexaginta duosque
Ex quo Scotorum cessit *Ierna* jugo.
3603. Macha patrem, patris et patruelis excipit ambos,
7. Septem annis regum fœmina sola throno.
3610. Clarus *Heberiadæ* pronepos tribus imperat *Enni*
9. Messibus *Ogygiæ* sexque *Reactus* agris.

3619. Triginta *Hugonius* rex annos transtulit in se
30. Regni *Heremoniàdes* jura, suumque genus.
Cœpit, *Alexander Darium* quo vicerat anno,
Vergiviumque ultra protulit arma salum.
3649. Rex erat *Hugonii Laogarius* octo bis annos,
16. Lageniæ proceres quo genitore sati.
3665. *Cobthacus Hugonides* fratri suffectus, in aula
17. *Temoriæ* messes octo, novemque sedet.
3682. Trans mare quinque nepos Laogari tresque ter annos
14. *Lauradius* veniens rexit *Inisfaliam*.
3696. *Cobthace*, te genitus bis sex laudabilis annos
12. Rector Hibernigenûm *Melga* potitur agris.
3708. Occupat inde thronum *Magcorbus Heberia* proles
6. Non per sex hyemes vidit *Ierna* parem.
3714. Imperium doctus septenne capescit *Olillo*
7. *Lauradii Æneas* e genitore nepos.
3721. Arbitrio leges dispensat *Hirengleo* senis
6. Messibus, alma tuæ, *Melga*, propago, Domûs.
3727. Septenas *Forcorbus* erat dominatus aristas
7. *Magcorbi* soboles, *Momoniæque* decus.
3734. *Conla*, deinde tuum regnavit, *Hierngleo*, germen,
4. Dum quater annorum circulus usque redit
3738. *Dente-scaber*, patre defuncto, investitur *Olillus*
25. Et tria cum lustris lustra duobus agit.
3763. Instat *Adamarius Fercorbi* filius annos
5. Quinque cui expansis tempora compta comis.
3768. *Dente-scabri* natus successit *Achaius Olilli*:

7. Et sedet *Autumnos*, quinque duosque throno.
3775. *Fergusius Banbæ* duodenos imperat annos,
12. Strenuus *Æneam* qui referebat avum.
3787. *Temoriæ Æneas* hæres et natus *Achaii*
32. Messibus *Erigenas* temperat octo quater.
3819. Quinque *Columnaris*, patruo diadema *Conallus*
5. Vindicat, extincto, messibus, ense suum.
3824. Regna *Niasedamon* septennia cretus *Hebero*
7. Quà mare *Vergivium* littora pulsat, agit.
3831. Filius *Æneæ* patruelis et *Ennius* annos,
10. Sceptra tenet, geminans quinque *Conalle* tuos.
3841. *Fergusii Crimthanus* avi sibi debita nactus
4. Jura, sedet spatium per quadrienne throno.
3845. Ex *Hiro Ultoniæ* rex annos octo bis, unum
17. *Rudricius* (quo gens *Rudriciana*) regit.
Kimbaithi a primo *Rudrici* morientis ad annum,
Sunt bis centeni, sex super undecies.
Conquovari ad mortem hinc centum, quater octo duoque,
Qui, *Christo* genito, præfuit *Ultoniæ*.
Inter *Conquovarum* sunt, *Kimbaithumque* Monarcham,
Quatuor, ut doctis, sæcula lapsa, liquet.
3862. Clara *Nisedamonis* proles *Innatmarus* instat:
3. Tertia cujus erat funere tristis hyems.
3865. *Bressalius Rudrici* Scotorum serta propago
9. Induit, et brumis ter tribus illa gerit.
3874. Hinc *Innatmarides* diadema *Luagnius* annos

15. *Lugadius* gestat quinque simulque decem.
3889. *Bresalii* frater trieterida, *Congalus* unam
3. Mortifera vacuos aspide frænat agros.
3892. *Lugadio* prognatus avo duo, quinque, *Duachus*
7. *Temoriæ* exegit tempora verna throno.
3899. *Rudricii* tum *Factna* nepos quadriennia sena,
24. Fatali fruitus marmore, jura dabat.
3923. *Fedhlocus* hinc superest *Herimonis Achaius* ortus
12. Stirpe quater brumis qui regit arva tribus.
3935. *Temoriæ* extincto successit *Achaius Aremh*
10. Fratri annis denis, fulmine et ictus erat.
3945. Sanguine *Ederscolius* quinos *Heremonius* annos,
Regnat, ubi nullis rana coaxat aquis.
3950. Luna necat *Nuadum Niveum* bis tertia regem,
½. Ex *Heremoniadum* stemmate *Lagenio.*
3950. Regnat *Ederscolides* bis trina decennia, nati,
60. *Conarius* quo cum cœperat* ara Dei.
Conarii octavo post quadraginta *Toparchus,*
Vivere *Conquovarus* desiit *Ultoniæ.*
Viginti undecies, denos quater, octo ter annos,
Ultorum Emania hinc regia prisca stetit.
60. Postquam *Conarius* succensis ædibus arsit,
5. *Eria* quinquennis principe cassa fuit.
65. Messibus octo nepos *Fedlochi* dominatur *Achai,*
8. Quem cute *Lugadius* dupla rubrica notat.
73. *Lageniâ* accitus de stirpe *Herimonis Abraro*

* Æra Christiana incœpit, a quâ deinceps fit numeratio.

1. Annum *Conquavarus* munia regis obit.
74. *Lugadii* soboles *Crimthannus* ad octo bis annos
16. Præsidet, ad tumulum præcipitatus equo.
90. *Carbreus* hinc annos, alienus sanguine regum,
5. Quinque regit, sicca morte sed interiit.
95. *Crimthanni* regnat soboles cognomine justus
21. *Feredachus* bis sex messibus atque novem.
116. Suscepit fasces *Herimone Fiatachus* ortus,
3. Unica regnanti cui trieteris erat.
119. *Feredachi Fiachus* justi *Finnola* propago,
7. Septenni patrios tempore frænat agros.
126. *Ultoniæ Elimius* Rex semine prosatus *Hiri*
4. Transtulit *Emaniam* bis duo musta thronum,
130. *Temoriæ Fiachi* ter denos filius annos
30. Arce *Tuathalius* sceptra paterna tenet.
160. *Malius* ex *Hiri* quadriennis stirpe reportat
4. *Temoriæ* fasces, *Emaniæque* simul.
164. Inde *Tuathalidis* rerum moderatur habenas,
10. *Fedlimius* brumas legifer usque decem.
174. *Conquavari Arbathro* trinepos rex ultimus annis
3. *Cathirius* ternis, *Lageniensis* erat.
177. *Quintus Fedlimii* natus quinquennia septem,
35. *Centimachus* quinas subjicit ense plagas.
Bis decimo Octobris, sacratâ luce Gradivo,
Centimacho exitium mors violenta dedit.
212. *Conarius* primi trinepos de nomine regis,
8. Succedit *Quinti* messibus octo gener.
Quo sata *Scotorum** Britônum stirps regia in oris

* A *Conario* originem traxerunt *Reges Albaniæ* seu *Scotiæ Minoris*.

Triplicis Imperii quos modò sceptra manent.
220. *Arturus Quinti* decies tribus unicus hæres,
Messibus *Ogygiæ* sceptra Monarcha tenet.
250. *Lugadius* sequitur de stemmate *Macconus Ithi*
3. Tertia quem solium linquere fecit hyems.
253. *Fergusius* regnum dentes-niger occupat annum
1. *Ultoniæ* satrapas rege *Herimone* satus.
254. Filius *Arturi* legum præcepta ministrat:
23. *Cormacus* brumis bis tribus, octo, novem.
277. Denti-nigri inde nepos *Gonat* instat *Achaius* anni,
1. Exuperans uno mense, aliove vicem.
279. *Laffecarus* proles *Cormaci Carbreus* explet,
17. Regnando autumnos quinque ter, atque duos.
296. *Strabtenius* patri *Fiachus* succedit aristas
31. Septenas, denas, quatuor atque decem.
321. *Colla* sui infidus, patrui nece regnat *Huasus*
Quem quarta impulerat vertere bruma solum,
331. *Muredachus Fiachi* soboles, patruele remoto
25. Octo bis autumnis imperat atque novem.
Muredachi, exactis bis senis mensibus annus
Proximus excidio nobilis *Emaniæ*.*
Hinc ad *Patricium*, *Legatum* sede *Quirini*,
Sunt anni decies, summa quadrata decem.
356. Sceptra *Coelbadius*, de gente novissimus *Hiri*,
1. Exercet quatuor mensibus atque novem.
357. *Magmedonus Banbam* moderamine *Achaius* æquo,
8. Annos *Muredachi* filius octo regit.

* Ultoniorum regia.

365. *Crimthanus* semen succenturiatus *Heberi*
13. Messibus octo, domi quinque forisque potens.
378. Tres novies annos stirps clara *Niellus Achaii*
27. Rex ad *Ligeris* littus *Aremoricum.*
405. Succedit patruo, bis sex, tribus, octo Dathyas
23. Messibus exardens Alpibus igne Jovis.
428. Scilicet ad Gallas dum bello fulminat Alpes
Fulminis ignivomo turbine raptus erat.
4. Quatuor hinc annis Christi sub lege subactum
432. Patricius reges mittitur Ogygiæ.

PARS II.

Poematis Chronologici de Regibus Hiberniæ Christianis 57, *et duabus Reginis ab Anno Christi* 432; *ad annum* 1703.

Christicolæ reges, pars altera carminis esto,
Quos numero denos quinque novemque ferunt.
Tempus ab adventu *Patrici,* triginta ter anni,
Regibus his supra sæcula quinque datum.
Deme duos, reliqui fuerant de stirpe *Nielli;*
Unus erat Pronepos, alter *Heberiades.*
Carbreus, Eugenius, Laogarius, atque *Conallus;*
Crimthanus reliquis *Gulbaniusque* patres.
432. Patricius quinto Laogari venerat anno
30. Qui sex, Patricio præsule, lustra regit.
462. Vervecine, duos dominaris, Olille, Dathyæ
20. Nate, decemque annos, bis quatuorque simul.

Bis decimo musto post lugubre funus Olilli,
Dat patriæ Scotis* pictica terra locum.
482. *Lugadius* soboles *Laogari* quinque ter annis,
25. Rexque decem tactus cælitus igne perit.
507. Quinque† dein Janos sine regis *Hibernia* nutu,
5. Justitium sedes quassa suprema, vacat.
512. *Eugenii* inde nepos septennia terna *Marc-erca*
21. Rex vino et flammis mersus et ustus obit.
533. *Carbrei* quinque nepos, et sex regnaverat annos,
11. *Cormaco* genitus; patre, *Tuathalius.*
544. *Crimthanno* rex cretus avo septennia trina
21. *Dermitius* ferro, fluctibus, igne perit.
565. Uno regnabant anno duo chara *Marc-ercæ*
1. Pignora *Domnaldus, Fergusiusque* simul.
566. Succedunt binos *Boetanus Achaius* annos,
2. *Domnaldi* hic frater, natus et ille throno.
568. Regale *Anmireus* gestat diadema *Conalli*
3. *Gulbanii* pronepos, messibus usque tribus.
571. *Gulbanii* pronepos, annum *Boetanus* ad unum
1. Extincto *Anmireo*, Rex, patruele, sedet.
572. *Anmirei* soboles clarissima regis *Aidus*,
27. Ter nona Imperii, messe peremptus obit.
599. *Colmanus* primi *Boetani*, et *Dermiti Aidus*
6. *Slanensis* brumis bis tribus usque regunt.
605. Regis *Huaridnus Domnaldi* natus *Aidus*,
7. Septem annos *Fodlæ* sceptra superba tenet.
612. *Malcovus Anmiridæ* natorum primus *Aidi*,

* Immigratio Scotorum in Albianiam seu Scotiam Minorem Anno 503.
† Interregnum quinque annorum.

3. Supra annum, brumis sceptra duabus habet.
615. *Suwneus Eugenidûm* cognato e sanguine regum,
13. *Juvernæ* tredecim messibus arva tenet.
628. Quatuor *Anmiridæ* soboles dominatur *Aidi*,
14. *Domnaldus Janis* post duo lustra pius.
642. *Malcovidæ* sceptrum duo *Kellyus*, atque *Conallus*,
12. Lustra per et brumas detinuêre duas.
654. Fratre sed extincto regni consorte, *Conallus*
4. Quatuor autumnos usque superstites erat.
658. *Dermitium* et *Blathmac* natos *Slanensis Aidi*
7. Septennes reges pestis acerba necat.
Patris ab adventu *Patrici* quater octo ducentis
Messibus in Maio sol tenebrosus erat.
Quem subit *Erigenis*, simul ac funesta *Britannis*
Contages geminis regibus illa ferox.
665. *Blathmachides* lapsa est postquam ter bruma secunda,
6. *Sachnasachus* regni guadia cæde luit.
671. Succedit fratri quatuor *Kennfelius* annos,
4. Progenies generis, *Blathmace*, digna tui.
675. *Donchadi* soboles, magni *Finnacta* neposque
20. *Slanensis*, patriam lustra quaterna regit.
695. *Lonsechus Æneæ* natusque neposque secundi,
9. *Domnaldi* brumas regnat ad usque novem.
Julius huic vitam certamine mensis ademit,
Sabbato, et undecimum luce sequente diem.
704. Sufficitur septem patrueli *Congalus* annos,
7. Quem subitò ad loculum mors inopina rapit.
711. Regnat *Huaridni* soboles illustris *Aidi*
11. *Fergulis* autumnis octo tribusque throno.

Occidit undecimo, Marte adversante, Decembris
Cladis erat tantæ feria sexta dies.
722. *Dermitii* pronepos, atavo *Slananse, Fogartus,*
1. Mensibus in solio quinque novemque fuit.
724. Possidet *Irgalii Kinethus* filius annis,
3. E *Slanensæo stemmate* sceptra tribus.
727. Abdicat Imperium septenne *Flahertius* heros
7. *Longsechides, Monachum* religiosus agens.
794. Imperat *Ollanius* soboles tua *Fergale* sidus
9. Autumnos ternos quatuor atque duos.
Bis sexto Augusti lux proxima, septima Martis,
Quarto anno regni, contigit esse dies.
743. *Colmano* cretus *Slanensis* fratre *Donaldus,*
20. Quinque quater fasces messibus usque tenet.
763. *Frassache,* mutâsti, septenne, *Nielle,* cuculo
7. *Fergalide,* regnum, captus amore Dei.
770. *Donnachadus** *Domnalde* tuus *Colmanice,* natus
27. Præsidet autumnis octo ter atque tribus.
Quinto in se ducto cujus grassarier anno,
Vergiviis cæpit Danica classis aquis.
797. Undenis geminis Monachi diadema Nielli,
22. Messibus *Ornidius* patris *Aidus* habet.
819. *Conquovarus* proles *Donchadi* regis, aristas
14. *Temoriâ*† potitur quatuor atque decem.
833. *Calnius Ornidio,* regnavit, patre, *Niellus,*

* Donchado rege Dani infestare oras Hebernim cæperunt, anno scilicet 795.

† Regum Hiberniæ aula.

13. Autumnis tredecim, flumine raptus equo.
846. *Conquovaro* patruo, *Malachias,* octo bis annos.
16. *Malronii* soboles Sceptra tuetur avi.
Ter decimo extinctum referunt monumenta Novembris
Extremum vitæ Martis et esse diem.
863. *Calmides* senis *Banbæ* moderatur *Aidus ;*
Finnliathus brumis post dua lustra solum.
Bis decimus, junctus Veneris cum luce, Novembris
Mortis in ambiguo non sinit esse diem.
879. Septem et ter denos *Malachiæ* filius annos
37. *Flannus Hibernigenûm* subdit ad usque solum.
Sabbato, et octavo Juni mors ante Calendas
Temoriæ spoliat principe dura thronum.
916. *Finnliathi* prolem, *Flannem* generumque *Niellum*
3. *Glundubium* regem tertia vidit hyems.
Septembris ter quinta dies et feria quartæ,
Glundubio, Danis fausta, cadente, fuit.
Paschatis octavam præcedens intulit æstas ;
Res, ut erat priscis nota, notata libris.
919. *Donnchadus Flanno* genitus quinquennia quinque
25. Sanctorum patriam sub ditione tenet:
944. Bis sexto Imperii *Danorum* perditur armis
12. E *Slanensæo* semine Congalius.
956. Sex quater autumnos regnat *Domnaldus O Nellus,*
24. *Murcherti* natus, *Glundubiique* nepos.

980. Nobilis inde Nepos *Domnchadi* rex *Malachias,*
23. Quinque sedet Janos, octo, decemque throno.
1002. Bis sex, amoto *Malachiá,* sceptra *Brianus*
12. Messibus *Ogygiæ* tractat *Heberiades.*
Luce *Parasceves,* Maii nonoque Calendas,
Danorum occubuit perditus ense senex.
Conaciæ præerat *Thadæus O'Kelly* catervis,
Imaniæ princeps, regis et ille gener.
1014. Tum repetit fasces *Malachias* rursus *Hibernos*
8. Majorum et solio messibus octo sedet.
1022. Septembris quartus nonas et feria solis
Demonstrant obitûs tempora certa sui.
Postea Janus init geminâ memorabilis annum,
Sideris Eclipsi, rarâ utriusque notâ.
Hactenus *Ogygiæ* percurrimus ordine reges,
Annorum hac series mille bis una tenus.
Omnia labuntur, nihil immortale sub astris,
Tardiùs aut citiùs meta statuta venit.
Vergit ut ad finem multa ævo imperdita quercus,
Scotorum hæc primùm Regia quassa labat.
Prisca ruit quercus, sed surculus inde rependit
Damna, *Caledoniæ* consita planta solo.
Prima mali labes, primæ violatio sedis,
Regnandi et rabies ambitiosa ducum.
Panderat externis tum viribus Ostia, Trojam
Quod prius excidit, fæminæ adulterium.
Libertatis amor, fidei tutelaque patrum,
Extremi exitii causa suprema fuit.

1022. Septem annos decies *Malachiæ*, a morte duosque
72. Supremo insedit nemo Monarcha* throno
1094. Tum duo regnantes regem se quisque professus
Hinc *Boreæ* partes, temperat ille *Notum*.
25. *Murchertus* pronepos quinquennia quinque *Briani*,
Juvernæ Australes tractat ad usque plagas.
27. *Finnliatho* cretus *Lochlun Domnaldus*, *Aido*
Tot messes *Boreæ* præsidet atque duas.
1119. *Murchertum* abstulerat, post sex, lux septima mensis,
Quô noctem *æquiparat* longior inde dies.
1121. *Domnaldus Doriæ* moribundos exuit artus,
Quinto Idus Februi, Mercuriique die.
15. Hinc desolatum summum sine rege tribunal
Quinque ter autumnos squallet *Ierna* tuum.
1136. *Mogmedono* O Conorûs *Tordelvachus* ortus *Achaio*,
Messibus undenis imperat atque novem.
1156. *Domnaldi* agnatus *Murchertus* quinque bis annos
10. Lochlunides regis munia victor obit.
1166. Filius *O'Conori Rodericus* clauserat agmen,
Ultimus Indigenûm Rector *Inisfaliæ*.
3. Tertius in portu *Wexfordæ* vela suillo,
1169. (Subsidium Mæchi) Maius Angla videt.
1. Strongbous hinc anno Septembris ad octo Calendas

* Interregnum 72 ann.

1170. Luce *Waterfordæ* mænia Martis habet.
Bis nonâ bebdomadâ, Martis quoque lumine, præsul
Martyrio affectus *Cantuarensis* erat.
1171. Inde Novembris erat sexto decimo ante Calendas,
Anglorum appulsûs Rex mare classe secans.
Ter nono hinc anno adventûs et lumine primo
27. Ter nono lunæ *Rex Rodericus* obit.
1178. Post, quadringentis, et quinque fluentibus annis,
405. Scotigenæ* Sceptrum rursus Ierna colit.
1603. Conario genitus Jacobus, origine Hibernus,
Imperio uniret cùm tria regna suo.
Quem septem geminæ diverso e stemate gentis
Agnoscunt Dominum Sanguine quæque suum.
Anglia *Normannum, Wallum* cum Saxone gentes
Tres: *Pictum* et *Scotum, Scotia* datque duas.
Milesios et quos patriæ decus, Anglia misit,
Huic pariter gentes præbet Ierna duas.
Discordes animis non vis sed originis arctis
Nexibus ingenitus conciliavit amor.
Est Wallus Wallis, Henrici stirpe creatus,
Cadwaladri antiquâ nobilite sati.
Saxonici Edmundi Margriti et neptis, et hæres
Saxonicum proli vinxerat una genus.

---

* Interregnum Hibernici Sanguinio 505 Ann.

Altera Wilhelmi Margrita e semine primi
Normannum geminæ dat Diadema Rosæ.
Dux Fergusiadum, Pictorum hæresque, Kinethus
Univit soboli Scotica regna suæ.
Regibus ex Itho, ex Hiroque, Herimone, et Hebero
Per varios atavos gaudet Ierna sato.
Progenie Anglorum pars altera vindicat ortum
Et Burgo et Lacio, Strigulioque sibi.
Anglus ut Angligenis, Scotis ut Scotus, Hibernis
Partitæ ex ortu stirpis Hibernus erat.
1603. Quinque super saxum fatale Jacobus inunctus
22. Imperat et septem messibus, atque decem.
1625. Sex quater hinc natus succedit Carolus annos:
24. Carnificis secuit tragicus ensis Herum.
1649. Hinc interregnum Cromvelli tempore sævi,
11. Et turbata annis octo, tribusque quies.
1660. Rexerat inde alter viginti sexque per annos
Carolus; in gremio mortuus Ecclesiæ.
1686. Bis tribus hinc annis, Jacobi; ejecit Hiberno
6. Quando gener socerum, nata patremque throno.
1692. Tres annos Maria regit* sociata marito;
37. Messibus hic septem conjugis arma gerit.
1702. Anna suam excepit meliore jure sororem,
Datque Britannorum regia jura throno,
Anna, meæ genti faveas, Regina merenti;
Et fies Musis, Anna, perenne meis.

* Intellige in totâ Hiberniâ post Capitulationem Limericensem.

Lector, habes omnes, quot novit Hibernia Reges
  Solosque Hiberno sanguine rite satos.
Cætera venturi pandet Deus arbiter ævi;
  Qui non mutatur, sed sine fine regit.
O Deus afflictæ tandem miserere Juvernæ;
  Nec tua tam longam proferat ira moram,
Peccârunt patres, fateor, peccantque nepotes;
  Da veniam facilis: Tu, bone, parce malis.
Penè duo lacrymas viderunt sæcula nostras,
  Est nec adhuc nostris meta modusque malis.
Perdidimus natale solum, cœlumque benignum,
  Perdidimusque aras, perdidimusque focos.
Pellimur ejecti patriâ regnoque domoque,
  Ejectis toto non datur orbe locus.
Sternimur hìc ferro, bellis crudelibus illìc,
  Obruimur; nomen forte superstes erit.
O Deus æterno qui numine cuncta gubernas,
  Da meliùs, finem da Deus, hisce malis.
Delicti si jam luimus dispendia nostri,
  Gentis Ierneæ nunc, Deus, esto memor.
Ni suppressa diu, tandem Romana vigebit
  Relligio, nullam supicar esse fidem.

CATALOGUS

REGUM HIBERNIÆ CHRONOLOGICO GENEALOGICO HISTORICUS.

Diversis diversa placent; hunc carmen, illum prosa magis delectat; quare ut utrique Lectori satisfacerem præcedenti poemati Chronoligco, Catalogum hunc soluta eratione, adjungendum duxi. Talis autem est hujus Catalogi ordo, ut Columna prima, annum mundi aut Æræ Christianæ exhibeat: secunda regum numerum: tertia numerum generationum ab Adamo: quarta, quæ omnium latior est, Regum nomina, et si quid singulare occurrit: quinta, stirpes, unde reges oriundi sunt: sexta, denique columna, Annos Regni singulorum regum. Porrò suos Coloniæ cuilibet adscripsimus reges, summam omnium ad Catalogi calcem apposituri. Sed Scoto-Hibernicæ Coloniæ reges omnes, Hibernici sanguinis e tribus Milesii Hispanici filiis Hebero, Herimone, Hiro, aut eorum propatruo Itho originem trahunt. Reliqua notatu digna, in ipso Catalogo adferemus, et coronidis loco, toti operi adjiciemus dissertationem unicam de variis Hiberniæ divisionibus

et ejus statu Monarchico, unà cùm Schemate Genealogico Coloniarum regumque Hiberniæ, quod facis instar, præcipuarum Hiberniæ familiarum Genealogiis prælucere poterit.

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
2657			REGES IX. COLONIÆ FIRBOLG AUT BELGICÆ.		
	1		Slangius,		
	2		Rudricius,		
	3		Gannus,		
	4		Ganannus,		
	5		Sengannus,		
			His quinque fratribus alternatim regnantibus Hibernia primùm quinque partita est. Omnes novem reges ex Firbolg, aut Belgarum Colonia, quæ duravit 80, tantùm annis :	80 An.	
	6		Fiachus.		
	7		Rindalus.		
	8		Fobgenius.		
	9		Achaius, de cujus Reginâ, Taltenia dicta sermo statim habebitur.		
			REGES IX. COLONIÆ DANANNICÆ.		
2737	1		Breasus deinde a Reipublicæ clavo amotus, Nuado Coloniæ ductori cedere coactus est, ...	Fomrius.	

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
2744	2	33	Nuadus *Argentimanus*, . .	Dan.	20
2764	3	35	Lugadius *Longimanus*. Hic *Taltanios* ludos, vulgo *Lughnas*, seu Lugadii memoriam, ad montem *Talten* in Midia in honorem Talteniæ, ultimæ Belgarum Reginæ (a quâ ipse, donec ex Ephebis excessit, educatus fuit) quotannis celebrandos instituit. Lugadius ille primus in Hiberniâ equitâsse fertur: circa quod tempus Lapitharum cum Thessalis bellum gestum est, in quo Thessali equites Centauri dicti, quòd ipsi et equi unum corpus efficere putarentur. Vid. Flahert. pag. 177.	Dan.	40
2804	4	34	Dagdaus, ...	Dan.	80
2884	5	35	Dalboëtius, ...	Dan.	10
2894	6	36	Fiachus, ...	Dan.	10
2904	7	36	Mac-Cuill, } Banba, { Horum trium fratrum alternatim regnantium Reginæ quarum quæque nomen suum P. T. regioni		
	8	36	Mac-Evet, } Fodla,		
	9		Mac-grene, } Eria,		

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
			Mac Cuill, Mac Evet, Mac Grene, — Banba, Fodla, Eria, — indidit. Sed postremum magis hodie obtinet.	Dan.	30
			REGES COLONIÆ SCHYTO VEL SCOTO-HIBERNORUM CLXXVII.		
2934	1	37	Herimon primus hujus Coloniæ Rex, cujus Regina, Thea, vel Thais, Themoriam (id est, Theæmurum) Hibernorum deinde Regiam erigi curavit, anno ab ejus appulsu 3. Mundi verò 2936. Locus autem ipse sub Achaio ultimo Belgarum rege aliter dictus est. Vid. Flahert. p. 186.		14
	2	38	Mumnius, — Tres fratres		
2948	3	38	Lugneus, — alternatim reg-		
	4	38	Lagneus, — nârunt, . . .	Her.	3
2951	5	38	Eurialus vates, ...	Her.	10
2961	6	39	Ethrealus vel Ethreolus, . .	Her.	20
2981	7	38	Conmalius, ...	Heb.	30
3011	8	41	Tigernmasius. Primus hic Idolorum auctor in Hiberniâ, repertis auri argentique fodinis scyphos et crateres confici curavit. Vid. Flahert. p. 195 et seq.	Her.	23

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
3034			INTERREGNUM.		
3041	9	41	Achaius I. *Edgathach*, id est vesticolor, dictus: quòd eo regnante statutum sit, ut singuli juxta sortem vel dignitatem suam ex vestium coloribus dignoscerentur: gregariis militibus adeò ut plebeis in amictu unus tantùm colos assignatus sit: duo; militum præfectis et nobilibus Ephebis tres; urbium oppidorumque præfectis quatuor; Dynastis et reliquis Magnatibus quinquè; Doctoratûs gradu insignitis sex; regibus denique et reginis septem colores. V. Flahert. p. 204.		
3045	10	40	Kermnaus, Sobarchus, } Duo fratres alternatim reges,	Hiri.	40
3105	12	39	Achaius II. Faoberglas, . .	Heb.	20
3129	13	44	Fiachus I. Librannius, . .	Her.	24
	14	41	Achaius III. Cognominatus *Mumo* unde Momonia nomen provinciæ in Hibernia. Flahert. p. 206, ...	Heb.	21
3150	15	45	Æneas I. *Olmucadius* alias *Ollbhuadh* id est victoriosus: in Albaniam trajecit Pictosque et Orcadum Insulas quinquagies, Longobardos duodecies, et Colastios, nescio quam gen-		

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
			tem, quater triumphavit. De hoc rege, et interpretatione vocis *Olmuchadh* vid. fusè Flahertium p. 206. 207. ubi meritò, ob hujus et aliarum vocum vernacularum interpretationem sinistram reprehendit *Bruodinum*.		
3168	16	42	Ennius I. *Airgtheach* qui primus in Hibernia argentea scuta fieri curavit, teste Flahert. p. 212. . .	Heb.	24
3192	17	47	Rotheactus I.	Her.	11
3203	18	47	Sednaus, vel Sednæus I. . .	Hir.	5
3208	19	48	Fiachus II. *Finscotha* dictus,	Hir.	14
3222	20	46	Munemonius, sub quo Nobiles aureas torques, et monilia primùm in Hiberniâ gestârunt. V. Flahert. p. 222.	Heb.	5
3227	21	47	Faldergodius, sub quo aureorum annulorum usus Nobilibus concessus. Vid. Flahert. p. 213.	Heb.	9
3236	22	49	Ollamfodlaus, vel *Ollamfodhla* unde Ulidiæ nomen in Hibernia. Temorensia Comitia, triennio quoque celebranda, statuit, et quidem Calendis Novembris (Hibernicè *Samwhin*, seu finis æstatis) nec comitia solùm, sed et Academiam, vernaculè *Mur-Ollamhan*, id est, Doctorum murum		

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
			seu Gymnasium erigi ibidem curavit. Vid. Flahert. p. 223.	Hir.	40
3276	23	50	Finnacta, ...	Hir.	20
3296	24	50	Slanollús, ...	Hir.	17
3313	25	50	Gedius *Grandivocus*, . . .	Hir.	12
3325	26	51	Fiachus III. *Finnalcheas* primus in Hiberniâ puteorum repertor. Flahert. p. 216.	Hir.	8
3333	27	51	Berngalius, vel Berngalus, .	Hir.	12
3345	28	51	Olillus I.	Hir.	1
3360	29	51	Sirna *Longævus* 105. an. senex.	Her.	21
3381	30	51	Rotheactus II. primus in Hibernia quadrigis vectus, ut Ericthonius in Græciâ. Vid. Flahert. p. 247, . .	Heb.	7
3388	31	52	Elimius I.	Heb.	1
3389	32	52	Gilchadius, ...	Her.	9
3398	33	52	Arturus I. *Imleach*, . . .	Heb.	12
3410	34	53	Nuadus I. *Finfalius*, . . .	Her.	13
3423	35	53	Breasus Regius, ...	Heb.	9
3432	36	46	Achaius IV. *Optach*, . . .	Ithi.	1
3433	37	53	Finnius, ...	Hir.	20
3453	38	55	Sednœus II. *Innaradh*. Hic primus in Hibernia Stipendium militibus certum irrogavit. Vid. Flahert. p. 248, ...	Heb.	47
3467	39	55	Simon *Breac* vel maculatus,	Her.	6
3473	40	56	Duachus I. *Finn* seu candidus, ...	Heb.	8
3481	41	56	Muredachus I. *Bolgra*, . .	Her.	1
3482	42	57	Ennius II. *Ruber*, primus in		

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
			Hiberniâ argentum et æs signari ac in monetam cudi fecit. Flahert. 249. . .	Heb.	5
3487	43	58	Lugadius I. *Hiardon* dictus, ...	Heb.	5
3492	44	55	Sirlamus *Longimanus*, . .	Hir.	16
3508	45	59	Achaius V. dictus *Fuarchis* ob urinandi atque navigandi peritiam, quoniam scaphis aut cymbis uteretur ex viminibus contextis ac corio bubulo tectis. Vid. Flahert. p. 250, ...	Heb.	12
3520	46	58	Achaius VI. *Venator*, }		
	47	58	Conangus I. *Impavidus*, } Horum duorum fratrum alternatim regnantium, altera *Lugadio Rubri-mano* rege, jam proximè sequenti, in prælio occisus; alter verò sceptro orbatus, usque dum *Lugadius*, quadriennio post, moreretur, ac denuo Conangus 7 annis regnavit. Flahert. p. 256, ...	Her.	5
3525	48	60	Lugadius II. *Rubrimanus*, .	Heb.	4
			Conangus *Impavidus*, . .	Her.	7
3536	49	61	Arturus II.	Heb.	6
3542	50	62	Olillus II. *Fionn*, id est, candidus, ...	Heb.	9
3551	51	63	Achaius VII.	Heb.	7
3558	52	57	Argetmarus *Exul*	Hir.	10
3568	53	58	Duachus II. *Ladgraus*, . .	Her.	10
3578	54	65	Lugadius III. *Vitulinus*, . .	Heb.	4

A. Mundi.	Num. Reg.	Gener. G.	NOMINA REGUM.	Stirps.	A. Reg.
3582	55	59	Aidus I. *Rufus*, } E tribus		
	56	59	Dithorbus, } fratribus		
	57	59	Kimbaithus, } patrueles per vices regnârunt, et eorum postremus fuit Ultoniorum Regiæ conditor, .	Hir.	21
3603	58	60	Macha *Auri-coma* absoluta regina ; quæ unica fuit Hibernici sanguinis a conditâ Monarchiâ ad præsentem Angliæ reginam ejusque sororem quæ præcessit, .	Hir.	7
3610	59	60	Reactus Carpo ruber, qui post Æneam *Olmucadium* Albaniam Britanniæ partem nunc Scotiam, secundò subjugavit, sub quo meruit Ferc vel Fergus quidam qui ansam dedit Scotorum Albionensium erroribus de fictitio eorum Fergusio I. *Scotici Albionensis* Imperii, ut perperam volunt, conditore. Vid. Flahert. p. 259, ...	Heb.	9
			Et quæ ego supra scripsi de nomine Scotiæ, p. 60.		
60. Hugonius *Magnus,*	*Ugoine Mor.*
61. Laogarius I. *Lorc,*	*Laoghaire Lorc.*
62. Cobthacus *Coel,*	*Cobthach Caol Bhreagh.*
63. Lauradius *Navalis,*	*Labradh Loingseach.*
64. Melga *Laudabilis,*	*Melge Molbthach.*
66. Æneas *Doctor,*	*Aonghus Ollamh.*
67. Hirngleo seu Ireneo *Fathach,*	*Hieringleo no Irereo Fathach.*
69. Conlaus,	*Conla Cruaidhchealgach.*
70. Olillus III. *Dentiscaber,*	*Oilioll Caisfhiaclach.*
72. Achaius VIII. *Comatus,*	*Eochaid Folt-leathan.*
73. Fergusius *Fortis,*	*Fearghus Foirteamhuil.*
74. Æneas III. *Tuirmeach,*	*Aonghus Tuirmeach.*
75. Conallus I. *Columnaris,*	*Conall Columhrach.*
77. Ennius III. *Aichneach,*	*Eunda Aighneach.*
78. Crimthannus I. *Pugnax,*	*Criomthann Cosgrach.*

86.	Achaius IX. *Fedloch,*	*Eochaidh Feidhlioch.*
87.	Achaius X. *Aremh,*	*Eochaid Airemh.*
88.	Ederscolius,	*Edirsceol.*
89.	Nuadus II. *Niveus.*	*Nuadhad Neacht.*
90.	Conarius I.	*Conaire.*
91.	Lugadius V. *Rubricatus,*	*Lughadh Sriaibhnearg.*
92.	Conquovarus I. *Abratrous,*	*Conchubhar Abradhruadh.*
93.	Crimthannus II. *Nianair,*	*Criomthann Nianair.*
95.	Feredachus *Justus,*	*Fearadhach Fionn Feachtach.*
96.	Fiatachus *Candidus.*	*Fiatach Fionn.*
97.	Fiachus IV. *Finnoladh,*	*Fiacha Fionnoladh.*
99.	Tuathalius I. *Bonaventura,*	*Tuathal Teachtmhar.*
101.	Fedlimius *Legifer,*	*Feidhlimidh Reachtmar.*
102.	Cathirius *Magnus,*	*Cathaoir Mor.*
103.	Quintus *Centimachus,*	*Cond Ceudchathach.*
104.	Conarius II.	*Conairc Mac Moghalamha.*
105.	Arturus III. *Unicus,*	*Airt Enfhir.*
107.	Fergusius II. *Dentiniger.*	*Fearghus Duibhdheudach.*
108.	Cormacus *Ulfhada,*	*Cormac Ulfhada.*
109.	Achaius XI. Gonnat,	*Eochaidh Gonnat.*
110.	Carbreus II. Liffecarius,	*Cairbre Lifiochair.*

111. Fiachus V. Srabetenius,	*Fiacha Sraibhtine.*
112. Colla Huasius,	*Colla Uais.*
113. Muredachus II. Tirius,	*Muireadhach Tireach.*
115. Achaius XII. *Mogmedonius,*	*Eochaidh Muighmheado.*
117. Niellus I. Magnus,	*Niall Naoighiallach.*
118. Dathyas,	*Daithi Mac Fiachra.*
119. Laogarius II.	*Laoghaire Mhac Neill.*
120. Olillus IV. Vervecinus,	*Oilioll Molt.*
121. Lugadius VII.	*Lughaidh Mhac Laoghaire.*
122. Murchertus I. *Macerca,*	*Muircheartach Mac-Earca.*
123. Tuathalius II. *Calvo-asper,*	*Tuathal Maolgharbh.*
124. Dermitius I.	*Diarmaid Mhac Fearghusa Cerbheoil.*
125. Domnaldus I.	*Domhnall.*
126. Fergusius III.	*Fearghus.*
127. Boetanus I.	*Baotan Mhac Mhuirceartaigh.*
128. Achaius XIII.	*Eochaidh Mhac Domhnuill.*
129. Anmireus,	*Ainmhire Mhac Seadna Mhic Fearghusa Channfhoda.*
130. Boetanus II.	*Baotan Mhac Ninneadhai.*
131. Aidus II.	*Aodh Mhac Ainmhire.*

132. Aidus III. Slanensis,	*Aodh Slaine.*
133. Colmanus Rimhe,	*Colman Rimhe.*
134. Aidus IV. *Huaridnus,*	*Aodh Uairiodhnach.*
135. Malcovus Clericus,	*Maolcobha in Cleireach.*
136. Suwneus Meann,	*Saibhne Meann.*
137. Domnaldus II.	*Domhnall Mhac Aodha Mhac Minmhire.*
138. Kellachus,	*Cealleach.*
139. Conallus II.	*Conall Caol.*
140. Blatmacus,	*Blathmhac.*
141. Dermitius II.	*Diarmait.*
142. Sachnasachus,	*Seachnasach.*
143. Kennfaelius,	*Ceannfaoladh.*
144. Finnacta II.	*Fionnachta Fleadhach.*
145. Longsechus,	*Loingseach Mhac Aonghusa.*
146. Congalius II.	*Conghal Cinn-Maghair.*
147. Fergalius,	*Fearghal Mhac Maciledúin.*
148. Fogartus,	*Fogartach Mhac Neill Mhic Ceanaigh Sotail.*
149. Kinethus,	*Cíonath Mhac Jorgalaigh.*
150. Flahertius,	*Flaibheartach Mhac Loingsigh.*

151. Aidus V. *Ollanius*,	*Aodh* Ollán.
152. Domnaldus II.	*Domhnall Mhac Murchadha.*
153. Niellus II. *Nimbosus*,	*Niall Frasach.*
154. *Donnchadus*,	*Donchadh Mhac Domhnaill.*
155. Aidus VI. *Ornidius*,	*Aodh Oirdnidhe.*
156. Conquovarus II.	*Conchubhar Mhac Donnchadha.*
157. Niellus III. *Calneus*,	*Niall Caillne.*
158. Malachias I.	*Maoilseachluin Mhac Maólruanaidh.*
159. Aidus VII. Finnliathus,	*Aodh Finnliath.*
160. Flannus Sinna,	*Fionn Sionna.*
161. Niellus IV. Genuniger,	*Niall Glundubh.*
162. Donnchadus II.	*Dónnchad Mhac-Floinn.*
163. Congalius III.	*Congalach Mhac Moilmhethe.*
164. Domnaldus IV. *O'Neill*,	*Domhnall Uadh Neill.*
165. Malachias I.	*Maoilseachluin Mhac Domhnaill.*
168. Domnaldus V. *Mac-Lochluin*,	*Domhnall Mhac Lochluin.*
169. Tordelvachus, *M. O'Connor*,	*Toirdealbhach Mór Uadh Conchabhair.*

170.	Murchertus III. *Mac-Lochluin,*	*Muircheartach Mac Lochluin.*
171.	Rodericus O'Conner,	*Rodhruighe Uadh Conchubhair.*
172.	Jacobus I.	*Seumas.*
173.	Carolus I.	*Cormac,* } *No Cathal.*
174.	Carolus II.	*Cormac,* } *No Cathal.*
175.	Jacobus II.	*Seumus.*
176.	Maria,	*Maire.*
177.	Anna,	*Aine.*

REGES EX STIRPE ITHI.

9.	Achaius I. *Edgathach,*	*Eochaidh Edgathach.*
36.	Achaius IV. *Optach,*	*Eochaidh Optach.*
106.	Lugadius VI. *Mac-con*	*Luchadh Mac-con.*

Reges cum reluctantia fuêre; *Era, orba, feronus, fergna, Eugenius, Mmaganuadus, Donchadus O'Brien,* et *Tordelvachus O'Brien ex stirpe Heberi. Fiachus Tolgraus,* et *Bauchadius* ex stirpe *Herimonis:* et duo *Fothadii* ex stirpe *Ithi.* Ex stirpe *Hiri* omnes absque reluctantia regnârunt.

EPHOCÆ, SEU ÆRÆ DOMESTICÆ

MAJORUM NOSTRORUM, QUÆ, VELUT PUNCTA FIXA, CHRONOLOGIÆ INSERVIUNT.

A. M.

1656. Cataclysmus, seu Diluvium universale.

1. Ejus duratio.

1657. Finis.
312. Hinc ad adventum *Partholani* in Hiberniam.
1969. Adventus *Partholani* I. Coloniæ.
30. Duratio Coloniæ *Partholani.*
1999. Peste consumpta est.
30. Hibernia deinde deserta.
2029. Adventus 2. Coloniæ, quæ fuit *Nemethiorum.*
216. Ad fugam eorum, partim in *Britanniam,* duce *Britanno Calvo,* partim in Scandiam, duce *Ibathe.*
2245. Contigit autem fuga.
412. Hibernia ab hinc deserta.
2657. Adventus *Firbolgorum* seu *Belgarum* 3. Coloniæ.
80. Hinc ad eorum expulsionem a *Danannis.*
2737. Adventus *Danannarum* 4. Coloniæ.
197. Hinc ad horum expulsionem a Scoto-Hibernis.
2934. Adventus Scoto-Hibernorum 5. Coloniæ.
1016. Hinc ad Nativitatem *Christi.*
3950. Nativitas *Christi,* juxta nostros Cronologos.
432. Hinc ad S. Patricii Apostolatum.
1271. Hinc ad currentem jam annum æræ Christianæ.
1703. Annus præsens æræ Christianæ.
5653. Annus præsens Mundi.
2719. Ergo ab adventu *Scoto-Hibernorum* ad hunc annum sunt.

DISSERTATIO UNICA

DE HIBERNIÆ INSULA, VARIIS EJUS DIVISIONIBUS, STATU MONARCHICO, ET MODO OLIM SUCCEDENDI.

Pro ultimo hujus opusculi complemento, ac ne Lectori essentiale quid desiderandum relinquerem, dissertationem hanc Coronidis loco adjicere operæ pretium duxi: tum quia non eædem fuerunt gentis nostræ ac aliarum gentium divisiones: tum maximè, quia Scriptores exteri rerum *Hibernicarum* omnino sunt ignari; cum non nisi *Anglicos* aut *Scoticos* Auctores in gentis nostræ descriptione sequantur; et hi, ob religionis disparitatem, aliasque causas quàm plurimas (quarum odiosa hic esset tractatio) non parcè tantum, et calumniòse, sed quam maximè ignorantes de nobis scribunt; quia nostris uti monumentis nequeunt; cùm linguam non calleant. Hinc æquus rerum æstimator facilè colligere poterit exteros Scriptores, qui jam dictos Auctores sequuntur, non tam turpiter quàm imprudenter hallucinari; nam, ut Script. verbis utar, "si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent." Sed missis hujusmodi cæcis ductoribus, et sequacibus imprudentibus, ut in hac mea dissertatione methodicè procedam, sit,

DE LOCO, SITU, ET AMPLITUDINE, REGNI HIBERNIÆ.

Insulas alias in Oceano natas (licèt rarò ut docent Icti) alias, vel terræ motu, vel maris æstu a continentibus avulsas nemo non novit. Sic veteres *Eubœam,* vulgò *Negro-pont,* terræ motu a continenti *Græciæ* separatam tradunt. Imo Ovid lib. 15. Metam. quarundam Insularum a continenti separationem his versibus ostendit.

" Leucada continuam veteres habuêre Coloni,
Nunc freta circumeunt : Zancle quoque juncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, et media tellurem reppulit unda."

Claud. quoque *de Rap. Proserp.* Siciliam fuisse Italiæ partem docet.

" Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit ; sed pontus et æstus
Mutavêre situm : rupit confinia Nereus
Victor, et abscissos interluit æquore montes."

Et quamvis hoc etiam de *Hibernia* dici possit, ut a quibusdam Geographis etiamnum dicitur : certum tamen est, ex monumentis a majoribus nobis relictis et per manus traditis, *Hiberniam,* non solùm ante et post diluvium Insulam extitisse ; verùm etiam, hominibus, ante et recèns post, inhabitatam fuisse ;

quomodocunque illuc homines, aut animalia primùm appulerint; quod examinare hujus non est loci; quare nunc ad propositum. Itaque Hibernia, Insularum veteris orbis, post Britanniam, maxima; respectu cœli sita est inter *Tropicum Cancri*, et circulum polarem arcticum; sci. a gradu 51. latitudinis usque ad 57; ita tamen ut ipsum 51. Gr. medium fere secet. Longitudo ejus inter 8. 41. longitudinis gradus; ita etiam ut utrumque ad medium ferè subintret. Atque ita longitudo Hiberniæ ab Austro in Boream 466; latitudo verò ab oriente in occidentem, 286 Milliaria complectitur et consequenter ejus ambitus, inclusis promontoriis, milliaria continebit 1400. vid. Bruod. l. 5, c. 7, de Hiberniæ nominibus.

Errant igitur, aut errare volunt Cambrensis, Camdenus, eorumque Sequaces, qui Hiberniam ex semisse Angliâ minorem statuunt. Sulivanus, aliique cordati Gentis nostræ Scriptores, licet Hiberniam Britanniâ totâ minorem agnoscant, Scotiâ tamen Albionensi multò majorem, nec Anglia minorem demonstrant. Suffragatur Tabula Chronologica Romæ edita Anno 1667. Et certè perillustris Flahertius, exactissimus et peritissimus rerum Hibernicarum Scriptor in suâ Ogygiæ Insulâ, pag 17. Hiberniam Britanniâ quadrante tantùm minorem, Scotiâ verò ex triente majorem: et utrâque olim Episcoporum et Archiepiscoporum numero superiorem statuit: et eam ab Austro ad Boream 200. Milliaria *mensuræ Hibernicæ* in rectâ lineâ protensam scribit: et ab Ortu in Occasum transversim 120; addit diem Solstitialem cancri, seu anni longis-

simam in Australi gentis plagâ esse horarum 16. Cum dodrante: in Aquilonari verò, ferè 18, quod si verum est, a fine octavi climatis ad finem *duodecimi* feré extendetur.

Causa autem erroris modernorum Geographorum, circa Hiberniæ dimensionem, mihi hæc esse videtur: quod *Stafordiana* Hiberniæ dimensio (quæ hodiè obtinet,) plurimùm deficiat; in hanc enim dimensionem veniunt solæ planities, quæ vel pecorum pastui, aut agriculturæ destinatæ sunt, sylvis, montibus, lacubus, locisque omnibus paludosis, aut palustribus neglectis. Adde, quòd Agrimensores Dominorum favore, largitionibus, aut deceptionibus multa omiserint, quæ nostris adhuc temporibus in dies deteguntur.

Locum quod attinet: extremum Europæ ad Occidentem terminum nacta est, Oceano undique conclusa, ovalis aut lenticularis figuræ.

Terminos habet a meridie, qua Momonia jacet, Biscaiam in Hispaniâ, Britanniæ Armoricæ, et Aquitanniæ oras in Galliâ, a quibus *Vergivio* dirimitur mari: Britannis olim *Morwerdigh* dicto, quod derivatum videtur a vocabulo Hibernico *Farrigh*, quod est nomen àppellativum *mare* significans. A septentrione, qua Ultonia extenditur, Cantyream in Scotiâ, Hebrides Insulas, et Islandiam spectat, a quibus Hyperboreo, Caledonio, vel Deucaledonio mari sejungitur. Ab Ortu quà Lagenia tota est, atque etiam et Ultoniæ et Momoniæ pars, Scotiæ, Angliæ, et Walliæ obtenditur, a quibus Hibernico mari separatur, quod Gildæ olim *vallis Scythica*

vel *Scotica;* hodie vero *canalis S. Georgii*, Gallicè, *la manche*, dicitur. Ab Occasu demum, quà tota patet Conactia, aperto, vastissimoque terminatur oceano; atque adeo Hibernia ultimus est ad Occidentem Europæ terminus, de cujus priscis ac modernis divisionibus nunc agendum. Quare sit

DE VARIIS HIBERNIÆ DIVISIONIBUS.

Variæ circumferuntur Hiberniæ divisiones, juxta principum placita, vel rationes politicas. Ac 1. quidem antiquissima Hiberniæ divisio facta fuisse dicitur a quinque filiis *Delæ*, Belgicæ coloniæ Ducibus, in quinque provincias (Momoniæ, Conactiæ, Ultoniæ, et Lageniæ nomina deinde sortitas, et in concursu aut medio illarum sita Midia Regio, in quâ olim Regia sedes *Temoria*.) Deinde verò, in Scotorum Dynastia quinque memorantur divisiones, quarum prima *Bipartita* inter *Heberum* et *Herimonem* fratres. Secunda etiam *Bipartita* inter fratres Sobarchum et *Kermnaum* Hiberniæ reges. Tertia divisio fuit *Hugonii M.* quinquies quinque partita. Quarta iterum in Pentarchiam de qua paulo post: et quinta denique Bifariam inter *Quintum*, regem Hiberniæ, et Eugenium Maganuadum, regem Momoniæ, quam ideo vocant *Leithquinniam* et *Leithmogam* seu partem *Quinti* et partem *Eugenii*.

Porrò provinciarum quælibet a quinquepartita divisione *Coigedh*, id est, Quintana etiamnum hodie appellatur. Quintana quævis ex *Tricaceud*, id est,

Treucis centuriis constabat: et harum singulæ ex *Baile*, seu villis, pagis, aut vittatis; pagorum quisque ex *Seureche*, vel *Cochtranaid*, id est, quarta parte pagi, quam ideo Quarterium, et Carucatam vocant. *Seurceke* quam Sesquidquadrigam vocat Flahertius, continet 120. jugera terræ: quantùm nempe uno aratro per annum coli potest: sicut jugerum tantum agri, quantum pari jugo per diem colitur. Pagum verò alii e Sesquiquadrigis octo, alii ex duodecim, consistere volunt; sed Flahertius e quatuor tantùm; quia Sesquiquadriga perinde ipsi est ac Carucata, aut Quarterium, quod ex nominis notione quartam pagi partem significat: Tricenaria autem (Hibernicè *Triochadhceud*) constat e pagis 30. et æquivalet Hundredæ, aut Candredæ Anglo Saxonicæ, quæ nunc Baronia dicitur, et sesquiquadriga Hidæ respondet: ac veluti Cantreda e centum Hidis, ita Tricenaria e totidem Sesquiquadrigis constat; unde Tricenaria ex 30 pagis, 120. Sesquiquadrigis, et 14,400. jugeribus conficitur. Singuli etiam *pagi*, præter agrum ad arandum sufficientem, pascua, 300. vaccis abundè suppeditent; atque ita novem vaccarum millibus depascendis sufficient *Tricenaria*. Sed hæ extensiones, aut mensuræ quantumvis ita definiantur, pro soli tamen naturâ, qualitate, et locorum consuetudine quandoque varia est. Porro, *Tricenarias* in totâ Hiberniâ 184. aliqui statuunt: nempe 35. in Ultoniâ, 30. in Connactiâ; 70. in utraque Momoniâ; 31. in Lageniâ; et 18. in Midiâ; atque adeo in totâ Hiberniâ 184. Sed nostris de-

mum temporibus Hibernia in quatuor tantùm Provincias partita est: Provinciæ in Comitatus, et hi in Baronias distributi; habitâ plerumque in iis ratione ad pristinas ditiones, et *Tricenarias*. Nonnunquam tamen limites antiqui novis commutantur, et jugera passim in Staffordensia et minutiora Anglica multiplicantur; quorum hæc singula e 21. illa verò ex 16. cum dimidio, quadratis perticis constat: adeo ut centena Staffordensia faciant 162. fere Anglica jugera: et 8. Hibernica, superioris mensuræ, 15. Staffordensia: quot nempe sufficiunt vaccis quinque alendis.

Provinciæ quatuor sunt sequentes, quibus sui adscribuntur *Comitatus*.

I. Momonia sub quâ sex continentur Comitatus: Waterfordia, Corcagia, Kierrigia, Limericum, Tipperaria (cui annexa *Crux Tiperariæ* et Clare, seu *Teuamonia*, olim ad Connactiam spectans. II. *Lagenia*, in quâ 12. numerantur: Dublinum, Lugmagia vulgò Louth, Midia, Westmidia, Kildaria, Regis Comitatus, Reginæ Comitatus, Catherlagh vulgò Carlow, Kilkennia, Wexfordia, Wickloa et Longfordia, quæ etiam ad Connactiam, spectabat. III. Connactia, in quâ quinque: Galvia, Mayoa, Sligoa, Roscomania et Letrima. IV. *Ultonia*, sub quâ 9: Ardmachia, Dunum, Monachan, Antrim, Dungalla, Cavana, Feramanach, Tironia, et Londinodoria.

Sunt præterea urbes, quæ Comitatuum privilegiis gaudent; suosque habent vice-Comites et Districtus distinctos a Comitatibus ab iis denominatis. Porrò districtus omnes, aut Comitatus a primaria eorum Civitate ferè denominantur. Ac totius regni caput,

aut Metropolis est Dublinum; Civitas amplissima, et Emporium celeberrimum, orbi notissimum, calamo nostro non eget. Et hæc de variis Hiberniæ divisionibus, nunc de ejus statu Monarchico, et modo succedendi ante Anglorum dominationem. Sit igitur

DE STATU MONARCHICO, ET MODO SUCCEDENDI APUD HIBERNOS ANTE ANGLORUM ADVENTUM.

Hæc Insula, (inquit *Flahertius*, p. 27,) amplissimum quondam Regum Theatrum, reges absolutos 136. Ethnicos, et 48. Christianos, ad annum, a partu Virginis, 1022. per Annos 2314, regali Sceptro insignivit. Sub his erant reges, qui Provinciis quinquepartitis præsidebant; sub illis variarum ditionum in suis provinciis reges; quibus suberant, Tricenariarum in suis ditionibus Dynastæ, quos *Taisios* dixerunt, et usitato nunc vocabulo *Barones* dici possint: quemadmodum in *Hierarchiâ* nostrâ Primas Archiepiscopis, illi Episcopis, hi *presbyteris* præerant. Sic etiam apud Anglo-Saxones Archiepiscopi et Duces, Episcopi et *Comites*, *presbyteri* et *Thani* dignitate erant pares. *Taisius* apud nos idem est sensu literali, ac Capitaneus, seu præcipuus Dux: officio et honore convenit cum prisco *Thano* Anglo-Saxonico, cujus sensus literalis idem ac Minister, et postea, Exotico nomine, *Baro* dictus est a *Normanis:* ut et *Hundreda*, centuria aut *Cantreda* (*Tricenariam* nostram valens) *Baronia* dicta. Regis denominationem nostri duplici sensu acceptantes, Monarchas eâ notione strictè designabant, quos

Airdrighe, id est, supremos reges, et Hiberniæ reges dicebant: proceres vero inferiores *reges* (latè sumpto vocabulo *a regendo*) appellabant, cum adjectione nominis provinciæ, cui quisque præesset.

Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, et alios ejusmodi titulos, in Imperio Romano, primùm temporalibus præfectuum et Magistratuum officiis ad vitam tantùm annexos fuisse nôrunt Historici; et deinceps a septentrionalibus gentibus, quibus accisum Imperium, cum domitis ditionibus usurpatos, et in posteros, hæreditario jure transmissos. Et quidem Alboinus primus Rex *Longobardorum* in Italia A. D. 568, primus omnium *Ducem* creâsse legitur. Vid. Flahert. pag. 28.

Verùm, nullum tale inter Hibernos et Imperium aut alios exteros intercessit commercium, quatenus similibus peregrinis potiùs, quàm Majorum titulis insignirentur: cùm post *Scoto-Hibernorum* in Hiberniam appulsum, ad Ruderici O'Connor, ultimi Hiberniæ Regis cum Henrico II. Angliæ rege transactiones, Anno 1175. nullus unquam Hiberniæ rex declaratus externo jugo succubuerit, ut vel ipsi agnoscunt adversarii nostri ac imprimis eorum Coryphæus Cambrensis in Topogr. Hibern. dist. 3, cap. 45 et 46. Est igitur numerus regum, qui a primo hujus gentis Rege Herimone usque ad hunc ultimum Rodericum, Hiberniam rexerunt 181. Gens igitur Hibernica a primo adventûs sui tempore, et primi illius Herimonis Regno usque at Gurmundi et Turgesii tempora (quibus et turbata quies et interrupta aliquandiu fuit ejus tranquillitas) iterum-

que ab eorum obitu usque ad hæc nostra tempora ab omni alienarum gentium incursu libera permansit et inconcussa. Item, Hibernia, Romanis, etiam Orcadum Insularum Dominium tenentibus, inaccessa, nunquam externæ subjacuit ditioni. Consentit Polydorus Virgilius in Anglica Historia: Henricus rex destinavit animo domare Hiberniam: tum quòd Angliæ proxima est, tum quia Gallis inde administrata sæpius auxilia intelligebat; ideoque e re suâ maximè fore ducebat, si Insulam nunquam fere antea externis armis vexatam subigeret. Quod testimonium etiam confirmat, quæ supra scripsimus occasione nominis *Scotiæ* p. 70. Audi huc Cl. Vernulæum, c. 2.. Opusculi de propagatione fidei per Hibernos in Belgio. "Hibernia, inquit, nec Francorum, nec ullum externum Imperium unquam passa est."

Quod si rem ipsam dictorum jam *Titulorum* vocibus designatam perpendas, nullum invenies discrimen inter has, atque eas dignitates a prima inter eos regum institutione traductas. Quid enim aliud referunt Provinciarum Reges sub Monarchâ, quam duces? quid Ditionum Reges, quàm Comites? aut quid Dynastæ, quam Barones? *Comites* hac ratione ducibus quibusdam subditos, et Comitibus Barones antiquitùs in Imperio, et alibi non insuetum fuit. Atque in hunc sensum scriptores aliquando Subregum nostrorum dignitates, pro aliarum gentium ritu metientes, alii *Comites*, alii principes, alii *Duces* illos appellârunt. Vid. Flahert. p. 29 et 30. Et quidem de Carolo O'Connor, rege *Connactiæ* pro-

vinciæ, cognomento *Croibhdhearg*, i. e. *pugna ruber* (Cænobii *Cisterciensium Knockmoy* fundatore Anno 1189 vel 1190. in quo ipse Monachus decessit anno 1224) legitur: quod 12. Monasteria *Cisterciensia* erexerit, ac tam sumptuosè dotaverit, ut totidem *Comitum*, aut *Marchionum* dignitatibus sustinendis sat proventuum suppeditarent: ut non injuria sit talem dici, Imperialium titulorum ritu, *Ducem*, et sermone patrio, ejusmodi titulis non assueto, *regem provincialem*. Sua quippe omnibus linguis, et Nationibus peculiaris insita est proprietas, cujus absurda foret in aliis imitatio. Adde, quod Paterf. l quilibet domi suæ *Rex* dici possit: sic Cicero de Oratore: nisi in regno tuo essemus. Et Virgil. Ecloga 1.

" Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot (mea regna) videns mirabo aristas."

Unde falsò quidam volunt *regem* Latinè *supremum* tantùm, et nulli subjectum dominum denotare : ac perperam objiciunt sequens pentametrum.

" *Qui rex est; regem, Maxime, non habeat.*"

Quod aliò simili pentametro eluditur.

" *Degener in tugurî rex Lare quisque sui.*"

Quid quod veteres passim *regis* nomen tribuerint ei, qui vel uni oppidulo præesset : sic *Ithaca*, Ulyssis regis Ditio tam exigua fuisse dicitur, ut Cicero eam nidum saxo affixum æstimaverit. Sic Nestor *Pyli* rex: sic Josue 30. regibus in *Palestina*

gulam fregisse legitur, et Strabo testatur singulas *Phœnissarum* urbes regem habuisse : Plinius quoque strategis, et præfecturis omnibus *reges* olim præfuisse. Atque ut vicinos non egrediar, in ipsâ Anglia *Heptarchia* olim constituta, non illa quidem jure hæreditario, aut aliâ proprietatis successione innixa, aut ulli Monarchiæ subordinata, sed violenta, rara, desultoria ; nempe, teste Camdeno, Brit. Tit. Anglo-Saxones, qui plurimùm poterat, Rex gentis Anglorum dicebatur. Moderni tamen eorum Scriptores Monarchiæ titulum genti nostræ ademptum vellent, eò, qùod *Pentarchiam* admiserimus : non considerantes, aut (invidiâ stimulante) considerare nolentes, supremam in uno rege apud nos potestatem fuisse : Subalternam verò, aut substitutam a Pentarchis, seu Regibus provincialibus ad infimos ordines gradatim descendentem ; atque adeo *Monarchiam* nostram.

(" Rebus in humanis si fas cœlestibus uti.")

Exemplis Angelicam in cœlis Hierarchiam re præsentâsse, quam sic describit, vide Crimonensis, p. 96.

" Et ipse summo Civium in medio pater
  Laudavit alitum Choro.
Post quem tibi omnis aula cœli militat
  Secreta cœtus in novem.
Regi ipse semper assides propinquior
  Reconditorum particeps :
Quæ deinde subsequentibus tu detegis ;
  Mox alter aperit alteri ;

Ad infimum descenderit donec gradum
Semper minor scientiâ.
Nec alter alteri invidet præstantiam
Sed sorte quisque amplus sua est."

Breviùs Horat. l. 3, Od. I.

"Regum timendorum in proprios reges,
Reges in ipsos Imperium est Jovis
Clari, giganteo triumpho
Cuncta supercilio moventis."

Et brevissime Seneca in Thyeste.

"Omne sub regno graviore regnum."

Denique ut paucis absolvam, nullum fere in Europâ, præter ipsam *Hiberniam*, assignari potest regnum, quod non pluribus regibus, sibi invicèm minime subjectis, antiquitùs paruerit, quos tamen nostri ævi Scriptores *reges* appellare non dubitant. Appellent igitur et reges nostros Monarchas, seu veros, et absolutos reges, non obstante pentarchia, siquidem Pentarcharum nemo, hoc nomine, Dominium totius Insulæ sibi arripiebat, ut falso, et calumniosè volunt adversarii; plurimi namque fuerunt cujusque provinciæ pentarchæ a regio Monarcharum sanguine natalibus alieni; eorum autem nullus, quantumvis potentissimus, ad supremum Regni Thronum aspiravit; quare, vera apud nos viguit Monarchia; licèt pentarchia cum originali regiminis Regii formâ a primo Insulæ *Monarchâ*, *Slangio* instituta fuerit; Tunc enim Insula primum quinque-

partita, et cuilibet parti seu provinciæ *præses*, cum regis titulo, assignatus; ita tamen, ut omnes uni supremo regi, seu monarchæ subessent. Sed quid his immoror? de Pseudo-Historicorum Hiberniæ, et nominatim, Giraldi Cambrensis figmentis audiatur Waræus, p. 119. "Non possum, inquit, non mirari viros aliquos hujus sæculi, alioqui graves et doctos figmenta ea Giraldi mundo iterum pro veris obtrusisse." Et ibidem: "Multa hic fabulosa observari possent, quæ de Hiberniâ accumulavit Giraldus Cambrensis in Topographiâ Hiberniæ; sed aliis ea discutienda relinquimus; siquidem exacta eorum discussio justum requirit Tractatum." Videant nunc exteri Scriptores, quem in Hiberniæ descriptione, sequuntur Auctorem, cui vel sui Patriotæ omnem fidem Historicam derogant; quippe nebulo ille, non Historicus, ob injuriam forsan ipsi a quibusdam privatis meritò illatam, universæ genti, contra omnem rationem Historicam, palam detrahere non est veritus. Verùm, ut per suos amplius refutetur impudens scriptor et impostor, ecce quid de Hibernis, etiam post Anglorum incursum, dicat *Joannes Davisius*, Eq. Auratus sub Jacobo I. in *Hibernia* regius Procurator: "Rege Angliæ inconsulto (ait ille in discursu suo de Hiberniâ) suas Hiberni leges ad suæ Reipublicæ administrationem adhibebant, Magistratus instituebant, flagitiosos in suis ditionibus vel pœnâ, vel veniâ prosequebantur; bellum aut pacem ex suâ auctoritate inibant. Nec solùm Henrico II. Rege ista præstabant, sed ad Elizabethæ tempora exercebant. Donec Jacobo I.

Elizabethæ succedenti, Anno 1603; abjurato omni priori juris Regii, aut potestatis titulo, se subditos non inviti subjicerent: quòd eum ex illorum sanguino progenitum agnoscerent." Sed proh dolor! sub nullâ unquam regum familiâ *Hibernia* tam oppressa jacet, quàm sub hac ipsâ, etsi *Hibernicæ* sit originis. Ac imprimis quidem ipse *Jacobus* I. Juris administrationem in vernaculo nobis interdixit; adeo ut ipsius linguæ exercitium nobis sublatum sit, En regis post voluntariam nostram subjectionem remuneratio! quòd filio ejus Carolo I. fideles ad aras extiterimus, a Crumvello usurpatore, majori ex parte, bonis omnibus exuti, et partim in exteras oras relegati. Filio iterum Carolo II. ab exilio revocato fidelitatem nostram, et egregiam sibi, ac parenti navatam operam nequaquam recognoscente, aut ullum ad pristinas possessiones revocante. Denique, spretis oblatis favorabilibus conditionibus, fidelitate nostrâ ducti *Jacobum* II. in Gallias turmatim insecuti post diuturnam operam Galliarum regi, superiori bello, præstitam, factâ demum pace (orbe facinus abhorrente) *dimissionem* pro mercede consecuti sumus. Ecce ut fidelitas nostra nobis semper exitio sit, et quò pertinacius Regibus nostris adhæremus, datamque fidem servamus, hoc liberiùs in Historiis *Rebelles* nominamur. Sed Deus ista videt! Ego autem, ut ad propositum redeam, et os Anglicis Scriptoribus obturem, Scriptum invenio, *præcedentiam* jure *Hiberniæ,* ipsi regi Angliæ adjudicatam: altercantibus enim de præcedentiâ Angliæ et Franciæ Legatis in Concilio Constantiensi Anno 1417. id

responsi a Concilio retulêre, Sess. 28. "Quòd Europa in quatuor dividatur regna; primum videlicet Romanum: secundum, Constantinopolitanum: tertium, regnum Hiberniæ, quod jam translatum est in Anglicos: et quartum, regnum Hispaniæ." Ex quo patet, quod rex Angliæ, et regnum ejus sint de eminentioribus, et antiquioribus regibus, et Regnis Europæ; quam prærogativam Regnum Franciæ non fertur obtinere. Addo et ego, nec *primogenituram* Ecclesiæ, respectu Hiberniæ regum, ut mox ostendam de quâ tamen, tanto hiatu gloriantur Gallici Scriptores.

De Metropolitanâ Hiberniæ dignitate, inter reliquas Europæ, ita scribit *Joannes Azorius* Occidentis *Primates* recensens. "*In provinciis verò Occidentis*, inquit, (loquebatur per respectum ad *Orientalem* ecclesiam, in quâ regnârunt *Patriarchæ*, sunt Primates: totius quidem Hispaniæ Primas est Toletanus; Hiberniæ Armichanus; Angliæ Cantuarensis; Africæ Carthaginensis; Hungariæ Strigoniensis; in Germaniâ olim Magdeburgensis, nunc Salisburgensis; et in Galliarum provinciis, videlicet in Aquitaniâ, et Celtica, et aliis, Primates se appellant Bituricensis, Rhemensis, Lugdumensis, Arelatensis, Viennensis, Archiepiscopi; de quibus statim. Poloniæ Primas sine controversiâ est Archiepiscopus Gnesnensis; Scotiæ Archiepiscopus S. Andreæ. Unde liquet Hiberniæ Monarchiam, pariter ac Hierarchiam inter priores Europæ recensitas. Ut appositè animadverterit *Bodinus* de republicâ l. 1. c. 9. Inter principes, inquit, quædam dignitatis prærogá-

tiva antiquioribus principibus ac rebus-publicis deberi videtur, tametsi opibus ac potentiâ inferiores sint.

Regum *Diadema et inaugurationem* quod attinet. Acutioribus quibusque notum est, ex Imperatoribus Aurelianum Diadematis; Constantinum verò M. frequentem Coronæ usum primò introduxisse, et Justinum Juniorem primum omnium in inaugurationibus *Coronâ* insignitum. Lewigildus autem West-Gothorum regum in Hispaniâ, primus *Coronâ* inter regia Insignia usus est, Anno circiter Chr. 580. Nam, teste Isidoro, ante illum, et habitus et concessus communis et genti, ita et regibus erat. Regium tamen atque aureum capitis insigne, tam supremis, seu monarchis, quàm etiam provincialibus Hiberniæ regibus, atque Reginis antiquitùs usitatum fuisse omnes docent nostri Antiquarii, idque patrio sermone modò *Asionn* id est diadema vocant, quod temporis postea successu modò *Coroin*, id est *Corona* promiscùe dici solebat. Idque pluribus ostendit *Flahert.* p. 46. et 47. ubi refert *Maudam* Connactiæ reginam Aureâ Coronâ redimitam quadrigali pompâ vehi; Aureum *Asionn* reginæ Hiberniæ in Comitiis *Temorensibus* Anno Christi 174. furto sublatum. Imò, ex P. *Wardæo* in vita S. Rumoldi, citat, quòd in præliis diademate coronati incederent omnes reges Hiberniæ atque etiam in plerisque Actis solemnibus. Et quidem *Brianus* aut *Bernardus Boromæus* dictus, visâ *Coronâ* Regiâ, ab hostibus agnitus, occubuit, An. D. 1014 et *Donnchadus* ejus filius Majorum suorum *Coronam* Romam secum detulisse legitur Anno 1064, quod insuper

Regibus provincialibus Coronæ usum innuit: siquidem nec ille, nec alius quisquam e majoribus saltem *Christianis*, præter patrem, pro *rege Hiberniæ* agnitus fuit. Porrò Donnchadi *Coronam* Papa Angliæ regi transmisit, non ut eam retineret, sed ut eam legitimo traderet hæredi. Atque etiam *Corona*, *Gemmæ*, aliæque res pretiosæ in aperto quodam in Hibernia, sepulcro, Mense Augusto Ann. 1703. inventæ, quin ad priscos Hiberniæ reges, spectaverint, dubium non est; Corona enim *R. Jacobi II.* ad S. Germanum Galliæ delata est.

Cæremoniarum verò in inaugurationibus adhibitarum imaginem vel ipsa referunt *Hiberniæ* Insignia quæ Bartholomæus Cassanæus in Catalogo gloriæ mundi parte I. consid. 38. conclusione 17. ita describit. " Rex Hiberniæ habet Regem aureum tenentem Lilium in Majestate in campo nigro :" quare, existimo, lyram auream in scuto rubeo, moderna *Hiberniæ* Insignia, fuisse olim solius *Lageniæ*, et ab Anglis et Exteris pro totius regni Insignibus tandem usurpata. Extat præterea *lapis* noster, *fatalis* dictus, in Angliæ regum Throno West-Monasterii, ex *Hiberniâ* primùm in *Scotiam* ut conjecturare licet, temporibus Kinethi regis vid. p. 41. et inde ab Edwardo III. Angliæ R. per Scotiam victore, Londinum translatus; An. 1300. Super hoc monumento, seu Lapide Hiberniæ, reges investituræ suæ auspicia olim solenniter recipiebant; unde vulgares versus:

" *Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum,*
Invenient lapidem regnare tenentur ibidem."

Porrò *lapidem* illum ideo *fatalem* dictum volunt Historiæ, quòd Regii sanguinis principes, gentilismi tempore, super eo sistentes, utrum regnaturi essent, experiri in more habebant: si enim sub sessore *sonitum* ederet, certum erat regnandi augurium, sin *obmutesceret*, omnem spem præscindebat. Talis quoque fuisse dicitur *Lapis vocalis*, seu statua regis Ægypti, a *Cambyse* deinde ad medium usque pectus disrupta. Cessavit autem *lapidis* nostri augurium ab anno 1300. quô in Angliam adductus est, ad annum 1603. quô super illo coronatus est Jacobus I. M. Brittanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex. Veriùs tamen cessavit nato *Christo, Salvatore nostro*, ut et cætera falsa oracula de quibus passim Scriptores Ecclesiastici; adeo ut Julius Cæsar institutâ *Hecatombe* ad Oraculum *Delphicum* id responsi accepisse dicatur.

"*Me puer Hæbreus, Divos Deus ipse gubernans,*
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum;
Aris ergo dehinc tacitis abscedite nostris."

Quod ad Regiam unctionem attinet: quanquam omnes fere hodie *Christiani* reges illam usurpent, aliam tamen constat olim fuisse consuetudinem praxim et, unde *Robertus Lincolnensis* Episcopus in Epist. ad Henr. 3. "Multi sunt, inquit, reges, qui nullatenus unctionis munere decorantur. Et *Cardinalis Hostiensis* sic scribit: *si quis* rex inungi novâ consuetudine velit, usus, *et mos* obtinuit, ut id a Romano Pont. petat, sicut fecit *Rex Arragonum*." Nullum Domesticum monumentum de regum nostrorum *unc-*

tione reperiisse se fatetur ingenuè *Flahert.* p. 47. Ogygiæ Insulæ quod tamen nihil probat; cum idem de Sacramentali unctione dici possit, quam tamen regibus, cum populo Christiano, communem nemo non agnoscat, nisi qui Christianos illos diffitebitur. Sed liber de numero Cardinalium, Archiepiscoporum, et Episcoporum, Anno 1533. Romæ impressus p. 49. inungi dicit *Reges, Castellæ, Arragoniæ, Iberniæ, Scotiæ, Polloniæ, Hungariæ,* &c. Provincialis Rom. *Reges Hiberniæ oblini* solitos tradit.

Ritus autem ille per *Orientis* populos, atque in *Veteri Testamento* adeo frequens et vulgaris ut regem constituere, eundemque *inungere* idem plane significent. Nec desunt Theologi, qui *Rabinorum* sententiam secuti, docent *Davidem* Regem ejusque posteros, eodem, quô *Sacerdotes* oleo inunctos: atque id continuâ traditione habent, *Oleum Sanctum,* quo *Aaron* S. S. Sacerdos inunctus, id ipsum ad inunctos Reges *Davidicæ* stirpis sine imminutione divinitùs servatum spatio 900. Annorum : non secus ac *Galli* Oleum, quô *Clodovæus* I. a S. *Remigio* inunctus, traditur per *columbam* in *Ampulla* cœlitùs dimissum, et hactenus conservatum affirmant; hinc in quibusdam eorum *numismatibus* legere est, "*Francis data munera cœli.*" Verùm, antiquiores Scriptores, qui dicti *Clodovæi* temporibus floruerunt, eum a S. *Remigio* baptizatum docent; de *oleo* verò et *ampulla,* cœlitùs missis, altum apud eos silentium. Et *Amionius* quidem, *Hincmarus* et alii qui *Olei,* et *Ampullæ* mentionem faciunt, ad *baptizandum Clodovæum,* non ad eum *Regem inungendum* adhibita

scribunt. Addo, *Pipinum Caroli Magni* patrem, primum fuisse e Franciæ regibus, qui *Regalem* suscepit *Unctionem,* ut Scriptores fide digni tradunt, quos citat Flahertius, p. 52. Ogygiæ Insulæ.

Porrò in *Occidentali* Imperio certò constat, unctionem Regiam, cum ipso Imperio natam, exeunte Anno 800. et a Cæsaribus, qui *Carolo* M. successerunt, ad nostra usque tempora nunquam intermissam. In *Orientis* autem Imperio ante *Emanuelem Comnenum,* Anno 1180. et *Alexium* ejus filium, et successorem vix usurpata: et probabiliter quidem supremis *Emanuelis* temporibus, cùm Rom. Pontificum gratiam, affectatâ pietate, sibi conciliandam putâsset. Huc fecit, quòd *Manasses* sub eodem *Emanuele* de *Caroli M. coronatione* ita Græcè in hunc sensum cecinerit.

> " *Quod mos Romanus habebat,*
> *Imo quod Hæbreis fuerat solemne Tyrannis,*
> *Signatum infundens a summo vertice, totum*
> *Usque pedes unxit, Verum quid Sacra quid ipse*
> *Sacrorum Antistes voluit? nescimus.*"

De his et aliis huc spectantibus vide fusiùs Flahert. p. 74. et seqq. Atque ut paucis absolvam, in hoc, quod omnium unctionum caput est, Hiberniæ reges præ omnibus omnium gentium Monarchis post Romanorum Imperatores, et Gothorum in Hispaniâ, sed Arianos, reges gloriari possunt, quòd primi Sacramentalis Olei unctione Christianitati fuerint initiati. Et hinc est quòd *Hibernia* ab Alberto M. et Bartholomæo Anglico Oratorum Henrici V. fide

de quibus paulo ante, aliis regnis præferenda existimetur. Unde patet, quàm immeritò Rex Galliarum *primogenituram Ecclesiæ* sibi usurpat, (nisi tamen Pontificum concessioni mærè insistat) quæ omni jure debetur *Laogario* II. Hiberniæ, regi a S. Patricio Hibernorum Apostolo baptisato, circa An. Christi 428. longè ante Clodovæi I. Galliarum regis (quem *primogenitum Ecclesiæ* perperam volunt) tempora. *Clodovæus* enim a S. *Remigio* baptisatus legitur ad Annum Christi 499.

Jus *hæreditarium* et *successionis proprietatem* attinet: duo spectanda monet *Flahert.* p. 57. nempe ipsum jus hæreditarium et populi *Electionem.*

Jure hæreditario quivis masculus, decessoris propinquus capax erat summi Magistratûs, illius ditionis, cujus aliquis e majoribus primus erat conditor: *Electione* tamen ea dignitas uni adstringebatur ad vitæ terminum, sed nec licebat iis penes quos *eligendi* erat potestas, alium quenquam eligere, quàm *ultimi possessoris patruum, fratrem, filium,* aut alium e familiâ propinquum; hac servatâ communiter lege, ut esset *ætate senior* et *conditiône dignior,* in quem potestas conferebatur. Quod supremorum regum exemplo manifestum reddit *Flahertius:* sic enim habet. "Nemo ab adventu filiorum Milesii ad eam dignitatem aspirabat, nisi qui ab uno ex tribus ipsius filiis originem duxerit, præter tres ex cognato Lugadii, filio Ithi, sanguine, et unum e plebe per annos 1447. ad S. Patricii appulsum." Christiani deinde reges ex solo Nielli Regis semine regnârunt 46. per annos 590. ad An. Christi 1202;

quatuor præcipuis ejusdem stemmatis familiis alternatim succedentibus. Interdum autem ex his aliqui, præ nimia dominandi libidine, (cujusmodi sunt millena apud veteres omnes nationes, tam Christianas quàm Ethnicas exempla) debitam sibi potius rati bello et violentiæ subsidio regiam dignitatem præripere. Et quidem cædis exempla in primis orbis, et urbis, æque ac in nostræ gentis, *conditoribus* inveniuntur. Unde apposité Flahert.

" *Contigerat primis quod fratribus orbis et urbis*
Scotica fraternis cædibus orsa Domus."

Quia *Heberus*, Regni gubernaculum prætendens, ab *Herimone* fratre, natu juniore, cæsus fuit; sed *Remus* e contra a *Romulo*, seniore natu, interfectus; quòd per contemptum urbis mænia equo transiliisset. Unde Ovid.

" *Mœnia parva prius, sed quamvis parva fuere,*
Non tamen expediit transiliise Remo."

Cæterum; sine armorum *potentia*, Electorum *suffragiis*, et avitæ hæreditatis *prosapia* in Hiberniâ omnis ad supremum cujuslibet familiæ Magistratum præclusus fuit aditus.

Quod ad successionem attinet: superstiti principi successor designabatur, qui e vivis sublatum exciperet, esto filius, aut frater, aut alius dignior e familiâ agnatus. Hunc *Tainiste* dixêre, vocabulo ab annulari digito translato; qui sicut medium et loco, et longitudine propius attingit, ita *Tanista* loco, et auctoritate a principe secundus. Atque hinc *Tanistriæ* legis titulus a *Davisio in casu Tanis-*

triæ, et *Waræo Antiquit. Hiberniæ*, c. 8, derivatur. Quisque e reliquis familiæ Candidatis *Riogh Dhamhna* dictus est; quod est regia materies; nimirùm materies apta ad recipiendam Regiam formam suæ familiæ. Si vero liberæ aut mechanicæ artis alumnus fuerit, *Adhbar* tantùm, quod materiem etiam denotat, vocatur; quippe materies disposita, ut tali professione informetur.

Siquidem tres erant olim in hac republica ordines: unus regum, alius Druidum et literatorum, ac tertius opificum et plebeiorum; et in singulis ordinibus septem gradus et dignitates, suis quæque obligationibus, et immunitatibus ordinatæ. Posteriorum ordinum quisque in suâ arte professor *Ollamh* vocatur.

Evangelii quoque post legem amplexam, sicuti Monarcha, et Primas in toto regno, et Pentarcha cum Archiepiscopo in quâlibet provinciâ, ita in singulis ditionibus, præter ditionis regem, cui suberant *Taisii*, seu *Barones*, erat Episcopus, et Abbas cum administrandæ legis Judice, et cujusvis alterius professionis *Ollamh*, qui superiores habuit in Provinciâ, et supremos in regno ejusdem artis professores.

Hactenus *Flahertius* de modo olim succedendi apud Hibernos, et ego de hac prima parte *Descriptionis Bipartitæ Regni Hiberniæ*. In secunda verò parte, si Deus vitam protelaverit, *sinchronismum* regum nostrorum cum Exteris instituere est animus, ut et *Monachismum*, seu diversorum ordinum religiones, et monasteria in Hibernia olim fundata atque etiam *Sanctos* et *illustres* in Hibernia *Familias*

Hiberniæ originis annotare: cætera quæ desiderari possInt, velut miscellanea adducturus. Interim

Laus Deo patri Creatori, Deo Filio Redemptori, Deo spiritui S. cooperanti, Beatissimæ Virgini Mariæ, totique aulæ cœlesti pro nobis intercedenti.

INDEX

TITULORUM HUJUS I. PARTIS.

SECTIO II.

Catalogus Specialis

Epocæ seu Æræ Domesticæ Majorum nostrorum quæ velut puncta fixa, Chronologicæ inserviunt.

Ad Librum.

Olim tempus erit, quô pervolvêre, Libelle,
Cum tuus in tumulo Kellius auctor erit;
Hinc te Lectorem, nunc pro tunc, oro benignum,
Defuncti in precibus sis memor usque mei.

INDEX.

A.

B.

o

C

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

W.

FINIS.

THE FOLLOWING BIOGRAPHICAL TESTIMONIAL IS ILLUSTRATIVE OF THE HIGH MERITS OF THE AUTHOR.

WILLIAM D. O'KELLY was born in the County of Galway, and parish of Aughrim, and was descended of the O'Kellys of Aughrim. He quitted his native country very young, some years before the Revolution, and applied himself to the study of Humanity in the College of *Louvain* in *Flanders*, and of Philosophy and Law in that of *Paris*. He afterwards visited, and was very conversant in several other Universities of *Europe*, particularly those of Germany. About the year 1699, he settled at *Vienna*, where the Emperor *Leopold* gave him the chairs of Philosophy, History, and Heraldry, at his Imperial Court, in which faculties he was also chosen by the states of *Austria*, for the Academy founded at *Vienna* for the said states, for the noble youths of that Province. About that time he published the following Treatises, (viz.)

A Compendious System of Philosophy, entitled *Philosophia Aulica*, written for the use of young gentlemen of the Province of *Austria*.

Historia Bipartita Hiberniæ. It is written in verse and prose, and grounded on *O'Flaherty's Ogygia*. From a modest, well penned letter, dated Vienna, February 12, 1741, in answer to one of mine, I have formed my account both of his education, writings, and preferments. He writ besides, an Abridgment of History, Chronological, and Geographical, under the title of, *Institutiones Academicæ*, intended both for public use, and for the halls, when he was obliged to lecture on those matters. Also, *Speculum Imperiale, Historico-Chronologicum ; Speculum Heraldicum*. All these Tracts were published in *Latin*, and at the date of the aforesaid letter, he had ready for the press, a larger and more complete system of Philosophy, under the title of *Philosophia -Aulico-Academica repetitæ prælectionis*, but whether yet printed I know not.

The three last Emperors, besides very decent emoluments for his profession of sciences, and the inspection of arms in the respective Chanceries throughout the greater part of their hereditary dominions, conferred on him the honourable titles of *Consiliarius Imperialis, Comes Palatinus, sacri* Romani *Imperii Eques*, and *King at Arms*.

I am informed he is lately dead, and that he left behind him, the character of a good *Latin* poet, a facetious companion, and a trusty friend. It was his genius to poetry that brought him first into notice. His *panegyrics* upon some great families in that country, met with such general approbation, that they procured him recommendations to the Imperial Family, which were the foundations of his preferments.—*Harris on Sir James Ware and the Irish Writers*, pp. 287, 288.

RI
NCE

nc
m

